

996

V. KULCZYŃSKI.

Überreicht vom Verfasser.

# BOTANISCHE UND ZOOLOGISCHE ERGEBNISSE

EINER

## WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGSREISE NACH DEN SAMOA- INSELN, DEM NEUGUINEA-ARCHIPEL UND DEN SALOMONSINSELN

VON

MÄRZ BIS DEZEMBER 1905.

### IV. ARANAEAE ET ARACHNOIDEA ARTHROGASTRA.

BEARBEITET VON PROF. V. KULCZYŃSKI (KRAKAU).

*Mit Tafel XVII.*

EBSONDERS ABGEDRUCKT AUS DEM LXXXV. BANDE DER DENKSCHRIFTEN DER MATHEMATISCH-NATURWISSENSCHAFTLICHEN  
KLASSE DER KAISERLICHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.

5. 544.



WIEN 1910.

AUS DER KAISERLICH-KÖNIGLICHEN HOF- UND STAATSDRUCKEREI.

IN KOMMISSION BEI ALFRED HÖLDER,  
K. U. K. HOF- UND UNIVERSITÄTSBUCHHÄNDLER,  
BUCHHÄNDLER DER KAISERLICHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.



BOTANISCHE UND ZOOLOGISCHE ERGEBNISSE  
EINER  
WISSENSCHAFTLICHEN FORSCHUNGSREISE NACH DEN SAMOA-  
INSELN, DEM NEUGUINEA-ARCHIPEL UND DEN SALOMONSINSELN

von

MÄRZ BIS DEZEMBER 1905.



IV. ARANAEAE ET ARACHNOIDEA ARTHROGASTRA.

BEARBEITET VON PROF. V. KULCZYŃSKI (KRAKAU).

*Mit Tafel XVII.*

EBSONDERS ABGEDRUCKT AUS DEM LXXXV. BANDE DER DENKSCHRIFTEN DER MATHEMATISCH-NATURWISSENSCHAFTLICHEN  
KLASSE DER KAISERLICHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.



WIEN 1910.

AUS DER KAISERLICH-KÖNIGLICHEN HOF- UND STAATSDRUCKEREI.

IN KOMMISSION BEI ALFRED HÖLDER,  
K. U. K. HOF- UND UNIVERSITÄTSBUCHHÄNDLER,  
BUCHHÄNDLER DER KAISERLICHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN.



S. 544.

## IV. ARANAE ET ARACHNOIDEA ARTHROGASTRA

conscripta a Vl. Kulczyński.

(*Mit Tafel XVII.*)

### Araneae.

Fecenia E. Sim.

***Fecenia montana*** n. sp. (Taf. 17, Fig. 1).

Femina.

Cephalothorax 5·9 mm longus, 3·9 latus, parte cephalica supra basim palporum 2·85, prope marginem anticum 3·0 lata, fronte desuper visa in angulum valde latum, apice obtusum fracta, oculis anticis mediis ante eam paullulo modo prominentibus. Oculorum series posterior desuper adspecta leviter recurvata, marginibus posticis mediorum cum punctis mediis lateralium lineam subrectam designantibus; series anterior leviter deorsum curvata, marginibus superioribus lateralium fortasse paullulo altius quam puncta media mediorum sitis. Diametri oculorum mediorum: anticum 0·35, posticum 0·22, lateralium anticum et posticum 0·225, intervalla oculorum anticum: medium 0·31, lateralia 0·24, posticum medium 0·39, lateralia 0·58, mediorum antici et postici 0·29, lateralium antici et postici 0·26 mm longa; area oculorum mediorum ante 0·91, pone 0·82 lata, 0·84 longa; clypeus sub oculis mediis 0·48, sub lateralibus 0·44 altus, a latere visus leviter convexus et paullulo reclinatus. Mandibulae 2·4 longae, ambae simul sumptae 2·85 latae; sulcus unguicularis ante dentibus tribus, medio reliquis maiore, pone dentibus 4, primo reliquis (apici prioribus) subaequalibus maiore. Palporum pars femoralis prope apicem supra et ante aculeis 3 armata, reliquae inermes. Pedum (quorum dextra I et II desunt exemplo nostro unico) femora I supra aculeis 1.1, ante 1.1.1, pone 1.1, II supra 1.1.1.1, ante 1.1.1.1.1, pone 1.1.1, III supra 1.1.1.1, ante 1.1 aut 1.1.1, pone 1.1.1, IV supra 1.1.1.1, ante 1.1, pone 1 (aculei femorum dorsuales: 2-us in I, 4-us in reliquis prope apicem siti), patellae 0, tibiae I ante 1.1, subter 2.2.2, II ante 1.1.1, subter ante 1.1.1.1 et pone 1.1.1, III subter 1.2.2 aut 1.1.2, pone 1, IV ante prope basim infra 1 aut 0, subter 1.1.2, pone 1.1, metatarsi I praeter apicales 2 infra sitos, ante 1.1, subter 2.2, pone 1, II ante 1, ceterum ut I, III praeter apicales quatuor, ante 1, subter 2.2, pone 1, IV praeter apicales tres, ante 1, subter 6 (e quibus 3 paullo pone basim siti inter se approximati) armati. Calamistrum magnam partem e quatuor ordinibus pilorum compositum. Pedes sat longe pilosi. Femur, patella, tibia, metatarsus, tarsus pedum:

I.	9·6,	2·55,	9·6,	10·2,	4·0 mm
II.	6·1,	2·1,	6·3,	5·9,	2·6
III.	3·9,	1·65,	3·1,	3·0,	1·5
IV.	5·2,	1·95,	5·2,	4·9,	2·4

longa.

Abdomen (paullo contusum) ca. 8 mm longum, 3·7 latum. Epigyne 1·2 lata, 0·8 longa, subtrapezica margine antico fortiter rotundato, posteriora versus insigniter angustata, pone modo ca. 0·8 lata, insigniter inaequalis, partim cornea, partim membranacea (in parte media postica); paries corneus epigynae fissuris et foveis in tubera tria dividitur; eorum lateralia oblonga, anteriora versus et foras directa, a parte postica interiora foras et anteriora versus declivia; tuber medium ante (quoad marginibus tuberum lateralium definitur) ca. 0·85 latum, posteriora versus valde et paullulo inaequabiliter angustatum, margine postico

truncato, ca. 0·4 lato; pars tuberis medii postica, ca. 0·44 lata, 0·3 longa (ante parum definita) insigniter convexa est in longitudinem, in transversum vero subplana, aequa atque tubera lateralia elevata; partes tuberis huius antica et laterales depressae; marginem posticum epigynae tuber medium non attingit, supra (exadversus ventrem) excavatum est ita, ut in marginem acutum desinat. Pars media postica epigynae, ca. 0·3 lata, 0·24 longa, mollis, pilosa, multo humilior quam tubera descripta.

Humefactae araneae cephalothorax cum partibus oris et pedibus fulvo-flavidus; palpi flavidi paullo pallidiores; pedes apicem versus pallidiores, eorum femora leviter infuscata, annulo apicali umbrino, obscuriore (in pedibus anterioribus) aut pallidiore (in posterioribus) et sub eo annulo pallide flavidio ornata; patellae subter colore umbrino, supra fulvo tinctae, supra plus minusve (paullulo modo in pedibus I insigniter in IV) obscuriores quam basis tibiarum; tibiae anteriores concolores, posteriores annulis ornatae umbrinis prope medium et prope apicem, subter melius quam supra expressis, in pedibus III parum manifestis; metatarsi IV in parte media magna colore fulvo suffusi. Sternum pallide fulvum, obscurius marginatum, pedum coxis paullulo obscurius. Abdomen supra subavallaneum, linea umbrina ornatum mediocriter expressa, in parte anteriore in ramos duos vittam lanceolatam designantes divisa, pars dorsi postica media arcibus duobus recurvatis pallidioribus, parum expressis picta; eorum intervallum leviter infuscatum et ante utrimque, ad marginem posticum arcus anterioris puncto maiusculo fuligineo ornatum (pari punctorum similius, minus manifestorum, dorsum paullulo ante  $\frac{3}{4}$  longitudinis pictum videtur); inter arcum posteriorem et mamillas abdomen fuligineum et, ni fallor, lineolis duabus transversis, in medio interruptis, albidis ornatum. Pars laterum inferior superiore paullo pallidior et vittis obliquis aut maculis, diffusis, quatuor, gradatim minoribus et minus expressis, fuligineis et umbrinis picta. Subter abdomen nigrum est, scuta pulmonalia, foveae in fronte epigynae sitae, pars epigastrii posterior epigynam (ferrugineam) includens, utrimque angustata, pars ventris proprii antica angusta, linea transversa angusta, margini postico ventris proxima, maculae in partibus lateralibus mediis ventris sitae, utrimque una magnae, subtriangulares, apice intus directae, puncta denique duo apicibus macularum harum interiecta, avallanea aut isabellina. Mamillae pallide fulvae.

Cephalothorax pube longa densa adpressa, cinerascenti-alba tectus; sterni pili similes, minus densi; mandibularum color pilis similibus, minus densis non adpressis, parum mutatus. Abdominis desiccati dorsum ante albidum, ceterum pallidius et obscurius isabellinum, eius lineae obscurae indistinctae, arcus et lineae supra mamillas sitae albae, partes eis interiectae umbrinae; laterum maculae umbrinae, earum intervalla anterius cinereo-alba, posterius isabellina; partes abdominis inferiores obscurae nigrae, pars posterior epigastrii, ventris fascia antica et maculae laterales et puncta duo media alba, linea postica isabellina.

Nova Pomerania: in montibus Baining lecta est mense Septembri femina una.

#### Scytodes Latr.

*Scytodes domestica* Dol.

Ins. Samoa: Upolu; femina adulta.

#### Loxosceles Lowe.

*Loxosceles rufescens* (Duf.). — *Scytodes erythrocephala* C. L. Koch.

Ins. Samoa: Upolu; femina probabiliter huius speciei.

#### Artema Walck.

*Artema mauriciana* Walck.

Ins. Samoa: Upolu; pullus probabiliter huius speciei.

**Theridium Walck.**

*Theridium rufipes* H. Luc.

Ins. Samoa: Upolu; femina.

**Argyrodes E. Sim.**

*Argyrodes sundaicus* Dol.

Nova Pomerania: montes Baining; mense Septembri mas, et femina, non bene conservata, sed certo non distincta ab *A. sundaico* Dol., cuius exempla multa in Java insula et pauca in Sumatra lecta vidi. — Facile crediderim *A. sundaicum* Dol. una cum *A. sumatrano* Thor. et *A. flavescenti* O. P. Cambr. subiungendum esse *A. miniaceo* Dol.

**Leucauge Darw.**

*Leucauge grata* (Guér.).

Nova Pomerania: Herbertshöhe; mense Septembri femina.

*L. granulata* (Walck.).

Ins. Shortland: Poperang; mas.

**Nephila Leach.**

*Nephila maculata* (F.) var. *Walckenaerii* (Dol.).

Ins. Shortland: Poperang feminae et exempla non adulta.

*N. imperialis* (Dol.).

Ins. Shortland: Poperang.

Nephilarum incertae species lectae sunt in ins. Bougainville [pullus non bene conservatus, *N. maculatae* (F.) var. *Hasseltii* (Dol.) similis] et in montibus Baining [pulli].

**Argiope Aud.**

*Argiope aemula* (Walck.).

Nova Pomerania: Herbertshöhe, mense Septembri, femina.

*A. leopardina* Poc.

Nova Pomerania: montes Baining mense Septembri femina. — Ins. Shortland: Poperang; femina.

*A. picta* L. Koch Taf. 17. (Fig. 2).

Insigniter haec species variat non solum colore pedum, sed etiam pictura abdominis; maculae pallidae in lateribus dorsi sitae non raro adeo dilatantur, ut inter se confluant; in talibus exemplis partes laterales fasciarum fuscarum, quibus partes anteriores dorsi ornantur, evanescunt, et dorsi pictura similis fere fit atque in *A. verecunda* Thor., ut eam F. Cambridge delineavit in dissertatione Cel. Pocockii de Araneis a Cel. Kükenthalio lectis,<sup>1</sup> sed desunt exemplis talibus lineae transversae fuscae, quibus interruptae sunt partes laterales posteriores dorsi in figura F. Cambridgei, et macula fere in medio dorso sita paullo aliam formam habet: transversa subrectangula est, latere utroque profunde sinuato, et maculam continet pallidam transversam, plus minusve in partes duas rotundatas divulsam, — similem atque in *A. picta*

<sup>1</sup> Abh. Senckenb. Ges., vol. 23, fasc. 0, tab. 25, fig. 6.

typica (maculam hanc rotundatam, qualis teste T. Thorellio esse solet,<sup>1</sup> non vidi in exemplis *A. pictae* quae examinavi).

Ins. Salomonis: Ins. Bougainville; feminae duae, altera abdomine fere ut in exemplo, quod Cel. L. Koch in »Die Arachniden Australiens«, tab. 3, fig. 3, delineavit, picto (sed fasciae flavae fasciis fuscis 5-ae et 6-ae, 7-ae et 8-ae interiectae in maculas quinas divulsae), var. *gorgoneae* L. Koch vero similis colore pedum, qui rufotestacei sunt, tibiis anterioribus et metatarsis leviter, tibiis IV late et evidentius apicem versus infuscatis, tarsis apicem versus nigris; pili pedum maiorem partem pallide colorati. Alterius feminae femora patellae tibiae rufo-fuliginea, patellae supra pallidiores et magis rufescentes, praesertim basim versus, tibiae sex anteriores annulis binis rufo-umbrinis, mediocriter (praesertim in tibiis III) expressis pictae, tibiae IV annulo tali uno solum, pone basim ornatae, metatarsi rufo-testacei, annulis fuligineis ternis picti, basali parum lato, plus minusve espresso, reliquis latis in medio et in parte apicali sitis; tarsi maximam partem fuliginei aut nigri, basi plus minusve badii (annuli pallidi tibiarum et metatarsorum ex parte saltem albo pilosi — quantum in exemplo nostro, squalore quodam obliito, videre possum). In dorso abdominis (fig. 2) partes laterales fasciarum fuscarum maximam partem deletae, latera dorsi itaque pallide flavidia cinereo reticulata, marginibus in parte posteriore insigniter inaequalibus (partibus fasciarum dictarum, quae restant, incisis); fascia fusca prima, qua anguli humerales inter se coniunguntur, integra, angusta; ceterum autem pars dorsi media partibus fasciarum fuscarum, quae restant, hunc in modum picta: locum fasciae secundae maculae tenent duae, subquadrangulares, inter se paullo minus quam a lateribus dorsi remotae, posteriora versus a se discedentes, umbrinae, ante et pone fuligineo marginatae; partes fasciarum 3-ae et 4-ae, 5-ae et 6-ae, 7-ae et 8-ae, inter se per paria coniunctarum fascias formant tres latas transversas, subquadrangulares, utrimque profunde sinuatas, suam quaeque maculam continent minorem, pallide flavam cinereo reticulatam, transversam, colore cinereo in maculas duas rotundatas divulsam in fascia 1-ma, ellipticam in fascia 2-da et 3-a. — Colore pedum hoc exemplum manifesto cum forma *primitiva* (Thor.) satis convenit.

Ins. Shorthand: Poperang. Feminae duae, pedum pictura exemplo secundo ex ins. Bougainville similes; abdomen (alterius contusum, alterius) fasciis transversis fuscis melius quam in praecedenti evolutis, quamquam etiam incompletis: secunda in medio non late interrupta, tertia utrimque paullo abbreviata, quarta et insequentibus inter medium et apicem utrimque interruptis.

Nova Pomerania: Herbertshöhe; mense Septembri, exemplum non adulturn. Pedes eius flavo-testacei, femoribus subter apice nigricantibus, patellis subter infuscatis, tibiis subter apice nigris, metatarsis et tarsis apice parum aut leviter modo infuscatis. Pictura dorsi abdominis similis atque in exemplo secundo ex ins. Bougainville, sed fasciae obscurae (umbrinae fuligineo marginatae) latae, supra dictae, tres in dimidio posteriore dorsi sitae inter se lineis pallidis angustis modo et valde incompletis distinctae in maculam unam confluunt oblongam, posteriora versus modice angustatam, marginibus insigniter inaequalibus definitam.

#### *A. aetherea* (Walck.)?

Nova Pomerania: Herbertshöhe, mense Septembri, femina colore abdominis magnam partem delecto fortasse huius speciei.

#### Gea C. L. Koch.

#### *Gea subarmata* Thor. Taf. 17 (Fig. 3, 4).

Nova Pomerania: peninsula Gazellae; mense Septembri femina. — Non dubito, quin femina haec *Geae subarmatae* sit subiungenda, quamquam in eam descriptio huius speciei a T. Thorellio in »Studi sui ragni malesi e papuani«, vol. 4, pag. 101, prolata non satis bene quadrat. Non nisi colore pallidiore differt

<sup>1</sup> Studi sui ragni malesi e papuani, vol. 3, p. 64.

hoc exemplum a feminis duabus a Cel. Dre M. Raciborski in Java insula ad Buitenzorg lectis, quas pro *Gea subarmata* habeo, quoniam cum ea statura, pictura, forma epigynae cet. manifesto convenient, parum autem probabile videtur in Java (quam teste Thorellio incolit *Gea subarmata*) duas species *Geae* occurere non nisi cephalothoracis a latere adspicti forma et oculorum situ inter se distinctas. — Thorelli descriptio *Geae subarmatae* aliqua ex parte manifesto vitiata est (errore typographi?): frons in pag. 102 latitudine circiter  $\frac{1}{3}$  cephalothoracis aequare dicitur, sed in pag. 103 hic paullo plus 2 mm, illa paene 1 mm lata describitur; trapezium oculorum posticorum ante paullo solum latius quam longius dicitur; num recte? — Feminam in Nova Pomerania lectam describendam censeo:

Cephalothorax 2·7 mm longus, 2·2 latus, fronte 1·23 lata, parte cephalica, quoad libera, anteriora versus paullulo angustata, impressionibus cephalicis et sulco medio profundis; dorsum a latere visum inter partes cephalicam et thoracicam non impressum, a puncto summo (foveae mediae respondent) usque ad oculos posticos medios linea recta leviter descendens (in cephalothorace marginibus partis thoracicae ibratis; si autem sternum ad libellam locatur, etiam dorsum partis cephalicae libratum videtur); area oculorum mediorum insigniter declivis, a latere visa paene recta. Diametri oculorum posticorum 0·195, anticum: mediorum 0·18, lateralium 0·115, intervalla oculorum posticorum: medium 0·31, lateralia 0·37, anticum: medium 0·16, lateralia 0·135 longa; oculi medii antici a posticis 0·42, laterales antici a posticis ca. 0·015 remoti; oculi postici medii paullo elevati, una cum tuberculo, cui innati sunt, 0·25 lati esse et inter se 0·24 distare videntur. Area oculorum mediorum ante 0·48, pone 0·66 lata, 0·78 longa. Series oculorum postica fortissime procurva, trapezium designat ante 1·23, pone 0·66 latum, 0·71 longum; series antica directo a fronte visa sat fortiter procurva: linea marginibus inferioribus mediorum et superioribus lateralium oculorum designata paullulo solum sursum curvata. Pedum armatura paullo mutabilis, femora I supra aculeis 1.1.1, ante et pone 1.1, patellae supra 1.1 (setiformibus), tibiae supra 1.1, ante 1.1, pone 1, subter 2.2.2 (nullo in apice), metatarsi ante et pone 1 in dimidio basali, subter 2.2 pone basim et prope medium ornati; pedum II armatura similis, sed femora pone aculeo 1, patellae etiam pone aculeo 1, tibiae etiam in latere antico inferiore apicis 1, metatarsi etiam supra pone basim 1 armati; pedum III femora supra aculeis 1.1.1. et utrimque prope apicem 1, patellae supra 1.1, tibiae supra pone basim 1 (et ad apicem utrimque 1?), ante 1, pone 0, subter 1.1.2 (?), metatarsi aculeis ca. 7, pedum IV femora supra 1.1 apicem versus, pone 1 prope apicem, patellae supra 1.1, pone 1, tibiae supra 1.1, ante 1.1, pone 1, subter 2.1 (nullo in apice), metatarsi aculeis ca. 7 ornati. Internodia pedum:

- I. 2·85, 1·15, 2·18, 2·45, 1·08 mm
- II. 2·7, 1·15, 2·10, 2·4, 1·08
- III. 1·95, 0·78, 1·08, 1·35, 0·82
- IV. 3·15, 1·08, 1·85, 2·32, 0·98

longa.

Abdomen 4·5 longum, 3·4 latum, ovatum pone latius, ante latissime truncatum et paullo rotundatum (margine antico 2·5 longo), pone paullo acuminatum; angulus dorsi anticus uterque in tuberculum parvum acutum elevatus. Epigyne magna, similis atque in *Argiopsis* plerisque, ab imo visa fere hexagona angulis rotundatis, 0·56 lata, 0·5 longa, tuber format ca. 0·3 altum, cuius partem maiorem foveae duae occupant magnae et valde profunda. Paries anticus epigynae modice declivis infra limbo finitur elevato aut reflexo potius, mediocriter lato, in arcus fracto duos, qui in medio in angulum fere rectum, apice retro directum, inter se coniunguntur, utrimque autem — aequabiliter recurvati — in latera epigynae descendunt, denique marginem posticum epigynae attingunt, ubi sub septo medio evanescunt ad lamellam tenuem redacti; a latere adspicti arcus, de quibus agitur, prope a margine postico epigynae (ubi tenuiores fiunt) angulum formant parvum sed manifestum. Cum limbo descripto septum medium epigynae coniungitur, quo foveae inter se distinguuntur; septum ipsum lamella est tenuis, subpellucida, ante, ubi cum limbo coniungitur, eo paullo humilior; ab imo septum a parte media, ca. 0·08 lata, anteriora et posteriora versus dilatatum videtur (posteriora versus quidem fortius); re vera margo eius liber ante tenuis, fere acutus

est, in parte posteriore autem sensim dilatatus in lamellam usque ad 0·4 latam, sursum (ventrem versus), denique anteriora versus curvatam, in foveas ingredientem et fundum earum formantem (lamellae huius partes superiores — ventri proximae — tenues sunt in medio, insigniter incrassatae in lateribus). Secundum marginem anticum, ex parte etiam secundum interiorem et exteriorem, fovea utraque carina acuta ornatur margini parallela, ab eo ca. 0·07 remota. A latere visa epigyne tuber format latius quam altius, pone altius quam ante, latere antico convexo, postico magnam partem recto, impendenti, margine apicali ante concavo, pone in parte maiore convexo.

Color exempli nostri non bene conservatus. Cephalothorax testaceus, pars thoracica pone in medio et pars cephalica supra secundum medium et ante pallidiores, flavidae; oculi medii postici colore nigro cincti et macula nigra coniuncti videntur; tuber oculorum lateralium nigricans. Sternum testaceum, tuberculis exadversus coxas sitis paullo pallidioribus, vitta media lata triangulari, flavidо-cinerea et ex parte saltem flavidо-albo punctata dimidiatum. Mandibulae flavidae; maxillae et labium flavo-testacea, illae apice intus, hoc apice albidum. Palpi flavidи, apicem versus paullo rufescentes. Pedes testacei, metatarsis et tarsis paullo pallidioribus, flavidis; pedum anteriorum metatarsi annulis ternis: basali, medio, apicali, tarsi annulo apicali, mediocriter expressis, testaceis ornati. Abdomen testaceo-cinereum, punctis flavidо-albis adspersum; vidisso videor in eo vestigia picturae e fascia transversa, non lata, pallida, in media fere longitudine dorsi, et ex area obscuriore triangulari in parte posteriore dorsi, constantia. Latera abdominis in parte media dense flavidо-albo punctata, punctis plus minusve in lineas transversas, leviter procurvas, digestis. Prope mamillas, in parte exteriore antica macula albida e punctis conflata. Mamillae pallide fulvae.

#### Cyrtophora E. Sim.

##### *Cyrtophora moluccensis* (Dol.) Taf. 17 (Fig. 5).

Ins. Samoa: Upolu; femina. Exemplum parvum, statura et colore (quantum in exemplo mediocriter conservato et in figura Keyserlingii videre possum) cum femina conveniens, quam E. Keyserling descripsit et delineavit in Verh. Ges. Wien, vol. 15, p. 813, tab. 18, fig. 22, 23. (*Epeira maritima* Keys). — Epigyne exempli huius differt paullo a figura 23 l. c., sed non differt ab epigyna feminae, quam nomine *Epeirae maritima* a Keyserlingio signatam dono mihi olim dedit W. Bösenberg. Cavum, in quo excisa est epigyne pone, paene ellipticum (quum a parte postica inferiore adspicitur; revera margo anticus medius cavi in angulum brevem latum productus est), transversum, 0·8 mm latum, 0·4 longum, septo molli parum lato in foveas duas dividitur, quarum utraque pone sive supra lamellam continet corneam, infra concavam, craterae dimidia, 0·3 latae, 0·15 altae, similem, intus cum septo medio contingentem, marginem exteriorem foveae non attingentem. Cum margine exteriore posteriore foveae lamella alia cornea coniungitur plus quam in semicirculum curvata, quae partem exteriorem lamellae prioris cingit pone et extrinsecus et ante.

##### *C. lineata* n. sp. Taf. 17 (Fig. 6, 7).

###### Femina.

Cephalothorax 7·0 mm longus, 5·5 latus, parte cephalica pone 2·8 lata, lateribus leviter rotundatis anteriora versus modice angustata; fovea media rotundata, pari punctorum impressorum, ca. 0·5 mm inter se remotorum, instructa; impressiones cephalicae et radiantes partis thoracicae modice profundae, illae pone evanescentes. Oculorum series posterior recta, anterior leviter sursum curvata, punctis mediis oculorum mediorum cum marginibus inferioribus lateralium lineam subrectam designantibus. Diametri oculorum posticorum: mediorum 0·27 (pupillarum 0·24), lateralium 0·22, anticorum: mediorum 0·32, lateralium 0·22, intervalla oculorum posticorum: medium 0·35, lateralia 0·58, anticorum: medium 0·32, lateralia 0·52, mediorum: antici et postici 0·53, lateralium: antici et postici 0·14 longa; area oculorum mediorum rectangula, 0·87 lata, 1·07 longa; series oculorum antica 2·17, postica 2·27 lata; a margine clypei distant oculi antici medii 0·29, laterales 0·42 mm. Mandibulae 2·7 longae, ambae simul sumptae 2·6

latae. Sterni tubercula exadversus coxas sita manifesta. Palpi et pedes aculeis setiformibus instructi numerosis, ex. gr. pedum I femora supra aculeis ca. 30 in series inordinatas tres dispositis, subter utrimque aculeis ca. 10, patellae supra et in latere utroque 1.1, tibiae supra et in latere utroque 3 aut 4, subter utrimque 8 aut 10, metatarsi supra 3, in latere utroque 2, subter utrimque 7 aut 8. Pedes (a basi femorum) I 29·3, II 27·5, III. 17·0, IV. 26·6, pedum I patella 3·1, tibia 6·8, metatarsus 7·9, tarsus 2·4, partes respondentes pedum IV 2·9, 5·8, 7·4, 2·0 mm longae. Abdomen desuper visum paene ellipticum, 10 mm longum, 6 latum, a latere adspectum dorso leviter convexo, lateribus antico et postico paullo impendentibus, pone non multo humilius quam ante, in parte anteriore 6 altum; circiter in  $\frac{1}{4}$  longitudinis dorsum tuberculis duobus ornatur, optime definitis, semiovatis fere, ca. 0·8 latis, ca. 0·6 altis, inter se circiter duplo longius quam a lateribus abdominis desuper adspecti remotis. Epigyne formam tuberculi habet ante et in lateribus parum definiti, transversi; latus anticum tuberculi, acclive, mediocriter induratum, infra carina finitur cornea, modice sinuata: in medio procurva, in lateribus recurvata, quum ab imo, in angulum valde latum, obtusum refracta, quum a parte inferiore antica adspicitur, ab apice tuberis in eius latera descendenti ca. 0·75 longa; latus posticum tuberculi lamella format cornea, in universum subplana, declivis, a parte postica inferiore visa subelliptica, 0·78 lata, 0·5 longa; infra, in apice tuberculi, lamella cum carina dicta coniungitur, non late quidem, ceterum ab ea sulco obtuso distinguitur, parte coniuncta excepta secundum marginem anticum et exteriorem et posticum sulco alio ornatur, ante angusto, posteriora versus leviter dilatato; qui sulci ambo in parte epigynae cum ventre contingenti subito retro curvantur, ibique inter se ca. 0·13 mm distant.

Exempli aliis, paullo maioris, cephalothorax 7·4 mm longus, pedes I 30·8, IV 2·79, patella cum tibia IV 9·1 longa.

Humefactae araneae cephalothorax cum mandibulis et palpis pallide sordide flavidus, lateribus partis thoracicae nonnunquam paullo infuscatis; oculi colore nigro cincti, laterales intus latius, reliqui angusti; pars cephalica lineis picta duabus umbrinis obsoletis, ab oculis mediis posticis versus foveam medianam ductis, inter se appropinquantibus; palpi apicem versus ferruginei. Sternum umbrinum, vitta media flava non lata ornatum; maxillae et labium umbrina, illae apice intus, hoc apice pallidum. Pedes colore cephalothoraci similes, subter modo paullo infuscati, modo non obscuriores quam supra, apicem versus colore ferrugineo plus minusve suffusi; coxae subter modo femoribus similes, modo colore sterni, flavido maculatae. Abdominis dorsum avellaneum (pallide cinereum flavidо-albo punctatum), tuberculis humeralibus in latere antico interiore nigris, ad marginem anticum utrimque linea obliqua, foras et retro directa, fusca plerumque ornatum, pone tubercula humeralia vero lineis pictum transversis umbrinis aut fuligineis, plerumque quinque crassioribus et tribus tenuissimis; e lineis crassioribus antica paullo pone tubercula humeralia sita est, postrema paullo ante apicem dorsi, quatuor anteriores spatiis gradatim minoribus inter se distant, quinta a quarta insigniter minus remota, quam haec a tertia; intervallum quodque linearum quatuor anteriorum crassiorum linea tenuiore ornat, paullo pone medium quidem; in lateribus lineae modo abbreviatae sunt, modo (praesertim crassiores) procurvae et cum pictura obscura laterum plus minusve coniunctae. Puncta impressa dorsi, utrinque quatuor, etiam obscure colorata sunt; eorum quatuor anteriores in fronte linearum crassiorum 1-ae et 2-ae posita sunt et cum lineis his colore fusco saepe coniuncta; puncta 4 posteriora lineis tenuioribns 2-a et 3-a continentur. Pars dorsi postica, linea postrema ante definita, reliquo dorso plerumque paullo obscurius colorata est et ante utrimque macula ornata parva rotunda, flavidо-alba, modo circumcirca modo in lateribus solum et pone colore fuligineo cincta; quae maculae cum maculis duabus aliis similibus, in apice abdominis pone supra sitis, trapezium designant insigniter angustius pone quam ante et duplo circiter latius quam longius. Latus posticum plus minusve obscurius quam dorsum, plerumque umbrinum, prope mamillas pallidius, circiter in media altitudine pari macularum pictum similius atque supra dictae, minorum, cum maculis superioribus trapezium designantibus infra paullo angustius quam supra et paullo longius quam latius. Latera abdominis dorso similia sed praesertim in parte posteriore abunde fuligineo aut umbrino lineata et reticulata (nonnunquam uliginea, obsolete pallidius maculata), maculis avellaneis umbrino marginatis aliquot picta, e quibus

maculis tres reliquis maiores et magis sibi constantes videntur: antica supra, fere in media longitudine laterum sita, secunda et tertia gradatim minores, cum ea in seriem subrectam retro et paullo deorsum directam digestae. Epigastrium fulvum et umbrinum, venter proprius nigro-fuligineus, secundum medium vitta sordide avellanea, mediocriter lata, prope eam utrimque in dimidio anteriore punctis avellaneis tribus, plus minusve expressis, in latere utroque denique linea pictus crassa flavid-alba, ab epigastro versus latera mamillarum ducta, in partes tres divulsa, quarum antica ambabus reliquis longior et leviter incurvata est, postrema maculam parvam rotundatam prope mamillas in earum latere format.

Dorsi pictura paullo inconstans est, lineae transversae nonnunquam ex parte evanescunt, praesertim anteriores et tenuiores; nonnunquam tenuiores et crassiores parum inter se differunt crassitudine.

Cephalothorax pilis sat longis subvillosis albidis dense tectus, sternum mediocriter dense nigricanti adpresso pilosum et setis aliquot erectis nigris instructum; abdomen supra pilis brevibus pallidis dispersis ornatum, in lateribus et subter densius et longius pilosum; color abdominis desiccati probabiliter similis atque humefacti.

*Cyrtophorae Doriae* (Thor.), quae speciei huic valde similis videtur, dorsum abdominis tuberculis caret secundum descriptionem a T. Thorellio in »Studi sui ragni malesi e papuani«, vol. 3, pag. 81, prolatam.

Ins. Shortland, Poperang; Ins. Bougainville, ; feminae.

#### Araneus Clerck.

*Araneus Theisii* (Walck.).

Ins. Samoa: Upolu, femina.

*Araneus relicinus* (Key). (Taf. 17, Fig. 8, 9).

Nova Pomerania: montes Baining; mense Septembri lectae sunt feminae paucae et mas adultus (ad hoc tempus non descriptus).

Descriptio huius speciei a Keyserlingio prolata<sup>1</sup> paullo supplenda videtur:

Pedum aculei valde numerosi, ex. gr. in pedum I femoribus subter ante 4—6, subter pone 8—12, in lateribus et supra ca. 25, in patellis supra 1, in latere utroque 1.1, in tibiis supra 3, in latere antico superiore 4 aut 5, subter ca. 7—9 utrimque, pone 5, in metatarso supra 1 pone basim, in latere utroque 1.1, subter utrimque 6—8. Patellae supra depressae et sulcis binis ornatae, tibiae vero teretes. Epigyne non alta, forma paullo varians; corpus eius corneum, transversum, in lateribus modice et aequabiliter aut angulato rotundatum, pone leviter rotundatum aut recte fere truncatum, ca. 0·75 latum, ca. 0·45 longum, in dimidio posteriore utrimque prope a margine lateralini foveam excavatum profundam, oblongam, pone incurvatam et in sulcum contractam margini postico proximum, non procul a linea media epigynae evanescentem; pars corporis media posterior sulco transverso, leviter procurvo aut recto ornata, pone foveis duabus nonnunquam instructa; pars anterior magna excavata pro receptione scapi, qui in margine antico corporis initium capit, reclinatus et corpori adpressus est, totus corneus, non plicatus, cordiformis fere apice producto et rotundato, aut magis triangularis, ca. 0·4 longus et latus, in universum leviter et paullo inaequabiliter concavus, marginibus acutis; apice scapus marginem posticum epigynae longe non attingit.

Feminarum (in formalino conservatarum) humefactarum cephalothorax, sternum, partes oris, palpi, pedum femora laetius vel pallidius testacea, palporum pars tarsalis apicem versus nigra, femorum pars apicalis, modo longior modo brevior, nigra, pedum patellae nigrae aut fuligineae, basim versus paullo pallidiores, tibiae et metatarsi sordide flavidula, illae apicem versus late, hi basi anguste et

<sup>1</sup> Die Arachniden Australiens, vol. 2, p. 216, tab. 19, fig. 6, 6 a. (*Nephila relicina*.)

apice late nigri, tarsi nigri, basim versus plus minusve pallidiores; pedum partes obscure coloratae plus minusve cyaneo nitentes. Abdomen laetus aut pallidius purpureum; dorsum vitta media ornatum nigra, pone colore purpureo plus minusve suffusa, ante saepe ex parte purpurea, a margine antico, ubi latitudine circiter tibias pedum aequat, primo in parte ca.  $\frac{1}{5}$  cito et insigniter dilatata, tum leviter in spatio paullo breviore angustata, ceterum latitudine parum inaequali et aequa circiter atque  $\frac{1}{3}$  abdominis lata; vitta haec in parte anteriore maculam continet flavidio-albam, marginem anticum non attingentem et pone paullo ante medium dorsum finitam, e partibus duabus compositam, anteriore oblonga, mediocriter definita, in parte latissima vittae sita, et e posteriore, quae posteriora versus aequabiliter dilatata est et in lobos tres obtusos desinit. Vitta media vittis duabus flavidio-albis continetur, aequa circiter atque pedum tibiae latis, intus parum extrinsecus autem plerumque paullo inaequalibus, quae vittae albac pone, prope apicem abdominis, in ramos breves duos dividuntur, alterum sursum et retro, alterum deorsum et retro directum; rami superiores nonnunquam abrupti maculas duas formant albas prope apicem dorsi utrumque sitas. Latera abdominis fere in media altitudine vitta alia flavidio-alba ornantur, sublibrata, latitudine paullo varianti (vittas albas dorsuales aequanti aut paullo superanti), paullo inaequali, tamquam e vittis compluribus paullulo obliquis: retro paullo descendantibus, confusis composita. Spatium vittis albis dorsuali et laterali interiectum secundum vittas et in parte posteriore nigrum, in parte anteriore autem colore dominanti purpureo et in ea supra maculis albis in vittam inaequalem confluentibus pictum. Epigastrium fulvum, pone colore purpureo plus minusve suffusum; venter ad epigastrium fascia transversa diffusa purpurea aut flavida ornatus, ceterum ante niger, pone purpureus, coloribus his sensim alter in alterum transeuntibus; latus posticum abdominis supra obscure, prope mamillas purius et pallidius purpureum, in medio late nigrum et hic utrumque lineola alba librata plus minusve obsolete pictum. Mamillae nigrae.

Color araneae desiccatae similis atque humefactae, partes abdominis, quae flavidio-albae sunt, dense sericeo albo pubescentes.

Unius exempli color ex parte multo obscurior: palporum pars femoralis supra et in latere exteriore, et pars patellaris in latere utroque colore nigro pictae apicem versus (non in apice), tibialis in parte apicali minore, tarsalis tota nigra; pedes exceptis coxis et trochanteribus et parte basali femorum nigri et nigro-fuliginei; abdominis partes, quae in aliis exemplis flavidio-albae sunt, omnino (vittae laterales et macula dorsualis) aut marginibus albis exceptis (vittae dorsuales) nigrae, sed pube alba tectae.

#### Mas feminae similis.

Cephalothorax 4·7 mm longus, 3·8 latus, parte cephalica pone 2·3, fronte 2·0 lata; impressiones cephalicae profundaes, pone evanescentes, radiantes partis thoracicae vadosae; fovea media sulcus est transversus latus, in quo sulci alii tres initium capiunt, medius retro, laterales—ab eo remoti—retro et foras directi. Dorsum a latere visum inter partes thoracicam et cephalicam levissime modo excavatum, in parte cephalica modice convexum, pone leviter acclive, in parte anteriore fortius declive (in cephalothorace marginibus lateralibus libratis). Oculorum series ambae desuper visae modice recurvatae, oculi postici medii etiam cum lateralibus anticis lineam designant leviter recurvatam; series anterior a fronte visa leviter deorsum curvata, marginibus inferioribus oculorum mediorum cum superioribus lateralium lineam subrectam designantibus. Diametri oculorum posticorum: mediorum 0·15, lateralium 0·12, anticorum: mediorum 0·165, lateralium 0·13, intervalla oculorum posticorum: medium 0·16, lateralia 0·82, anticorum: medium 0·195, lateralia 0·71, mediorum antici et postici 0·145, lateralium antici et postici 0·05 longa; area oculorum mediorum ante 0·50, pone 0·44 lata, 0·45 longa; clypeus sub oculis mediis sat fortiter reclinatus et 0·19, sub lateralibus 0·26 altus. Mandibulae 1·9 longae, ambae simul sumptae 2·0 latae, paullo reclinatae, sub clypeo modice convexae. Palpi breves; pars femoralis 1·3 longa, supra prope apicem aculeo 1, subter setis sat multis erectis instructa, pars patellaris 0·24 longa, 0·20 lata, supra ad apicem seta longa forti ornata, tibialis supra intus 0·22 longa, a latere exteriore superiore visa 0·32 lata, latus eius enim exterius inferius totum fere dilatatum est in processum crassum, paullo procurvum,

Kulcz.

2

apicem versus leviter modo et paullo inaequabiliter angustatum, apice rotundatum; pars tarsalis 1·75 longa, desuper visa 1·5 lata. Lamina tarsalis latus interius stemmatis tegit, a latere interiore 1·05 lata videtur, basi paullo producta excepta ovata fere; paracymbium foras et deorsum directum, cum processu tibiali ontingens aut ei proximum saltem, modice procurvum, apicem versus parum angustatum, apice reflexum et truncatum. Stemma fabrica simili atque in speciebus plerisque huius generis; ex partibus eius imprimis in oculos cadit particula quaedam cornea subter in dimidio basali sita, transverse posita, subter et pone convexa, ante profunde excavata in foveam, cuius margo anticus inferior in universum insigniter procurvus est et ita bis excisus, ut dentes tres formet: internum non procul a margine inferiore laminae tarsalis situm, brevem, triangularem, obtusum, et medium simili longitudine, circiter duplo latiorem, margine apicali late rotundatum, et externum, qui etiam in stemmate desuper viso conspicitur in latere exteriore anteriora versus prominens, prioribus multo longiore, oblongum, apice rotundatum. In apice stemmatis lamella sita est crassiuscula, modice indurata, transverse posita, angulato-rotundata, sulcis quibusdam ex parte divisa; quum stemma a fronte observatur, in latere exteriore lamellae huius apex niger obtusus conspicitur processus alias cornei, ceterum maximam partem lamella dicta occulti. Pedes processibus et armatura insigni carent, I 30, II 26·5, III 14·5, IV 23·5 longi sunt; pedum I patella 2·2, tibia 7·5, metatarsus 8·0, tarsus 2·0, pedum IV partes respondentes 2·0, 5·5, 6·2, 1·6 longae. Abdomen 6 mm longum, 2·5 latum, forma simili atque in femina.

Color similis atque feminae obscure coloratae supra commemoratae; palporum pars tarsalis in universum nigra et fuliginea.

*Gasteracantha* Sund.

*Gasteracantha metallica* Poc.

Ins. Salomonis: ins. Bongainville, mense Septembri, feminae.

*Gasteracantha notata* n. sp. Taf. 17. (Fig. 10).

Femina.

Cephalothorax 3·6 mm longus, 3·7 latus, fronte 3·1 lata, in lateribus partis thoracicae granis fortibus dispersis, margines versus magis congestis, et in lateribus eminentiae cephalicae supra granis similibus plus minusve abunde ornatus. Pars cephalica pone valde declivis quidem sed non ad perpendiculum directa, a fronte visa supra leviter convexa et in medio paullulo aut modice sinuata. Area oculorum mediorum trapezica pone latior, forma varians (in altero exemplo nostro area haec ante 0·38, pone 0·50 lata est, 0·44 longa, oculi postici non multo plus quam sescupla diametro inter se distant, in altero area ante 0·395, pone 0·55 lata, 0·40 longa, intervallum oculorum posticorum diametro fere duplo maius). Sternum punctis impressis pilos gerentibus exceptis paene laeve aut obsolete remote rugosum. Pedum I femur 3·2, patella 1·5, tibia 2·0, metatarsus 2·1, tarsus 1·1, pedum IV partes respondentes 3·7, 1·3, 2·1 2·2, 1·2 mm longae. Abdomen spinis sex ornatum, eis omissis 6·0 (6·5<sup>1</sup>) longum, 12·3 (12·0) latum, cum spinis 8 (8·5) longum, 21 (18·5) latum. Scutum dorsuale in medio 5·2 (5·7), ad basim spinarum lateralium 2·8 (3·0) longum, margine antico sat fortiter recurvato, inaequabiliter quidem, parte media levissime sinuata circiter dimidio breviore quam partes laterales, quae paullulo inaequales sunt; margo scuti posticus paullulo procurvus, latera inter spinas plus minusve concava; in transversum scutum dorsuale paullulo aut modice concavum est, in longitudinem leviter convexum; sculptura eius paullo varians: scutum minus concavum praeter puncta aliquot impressa, in linea media sita, anteriora posterioribus maiora, punctis impressis minutis modo et dispersis instructum, sublaeve dicendum; scutum magis concavum autem punctis impressis maiusculis, partim dispersis partim mediocriter confertis

<sup>1</sup> Exempli, cuius modulus uncinis inclusos profero, scutum dorsuale fortius in transversum concavum et spinae laterales magis sursum directae sunt.

ornatum. Anguli scuti in spinas quatuor producti; earum anteriores ca. 1·5 mm longae, foras et paullo anteriores versus atque leviter (plus minusve) sursum directae, 2 $\frac{1}{2}$  aut 3-plo longiores quam basi latae, paullo longiores quam spatium, quo a spinis posterioribus distant, rectae, conicae, acutae; spinae posteriores 4·5—5 longae, circiter 4-plo longiores quam basi latae, aequabiliter attenuatae, acutae, basi modo paullo modo non evidenter depresso, foras et paullo retro simulque paullo sursum directae, fere rectae aut paullulo retro et apicem versus paullulo deorsum curvatae; tubercula parva cornea, qualibus margines scuti dorsualis ornantur praesertim in partibus lateralibus, etiam in parte basali spinarum cernuntur, minus evoluta quidem, ceterum spinae tenuiter, subadpresso, non dense pilosae sunt et sublaeves. Ocelli decem anteriores seriem formant margini antico scuti fere parallelam, sed ocellus tertius utriusque lateris paullo longius a margine hoc distat quam ocelli vicini, ocelli sex interiores rotundati aut ocelli 3-tii paris paullo transversi, 4 ti et 5-ti transversi aut paullulo obliqui; ocelli 3-us et 4-us subaequali magnitudine, multo maiores quam 1-i et 2-i, minores quam 5-i; quatuor medii in lineam rectam aut paullo recurvatum dispositi, eorum intervallum medium duplo fere maius quam lateralia, haec subaequalia spatio, quo ocellus 2-us a 3-io distat; intervalla ocellorum 3-ii et 4-ti et 5-ti subaequalia, diametro maxima ocelli 5-ti circiter duplo minora et maiora quam intervallum ocelli 2-di et 3-ii. Ocelli centrales, quorum anteriores ocellos marginales 2-di paris circiter aequant, posteriores autem ocellis marginalibus 3-iis paullo minores sunt, trapezium designant paullo latius pone quam ante, hic paullo latius quam longius. Ocelli marginales posteriores quinque medii parvi, latera versus gradatim paullo maiores (sed etiam externi eorum ocellos anticos 1-mi paris magnitudine aequant solum aut eis paullo minores sunt), cum ocellis extimis lineam paullulo procurvam designantes; ocelli penultimi paullo ante hanc lineam siti; ocelli huius seriei extimi ocello antico 4-to subaequales, penultimus paullo minor, a vicinis spatiis subaequalibus, circiter dimidiam suam diametrum maximam aequantibus distans; spatium ocellis extimis antico et postico interiectum diametro minori illius subaequale. Spinae abdominis posticae ca. 1·8 longae, spinis anticis similes sed paullo graciliores, retro et paullo foras directae, inter se ca. sescupla sua longitudine et ca. dimidio minus quam a spinis lateralibus posticis remotae. Venter in medio tubere forti nitidissimo instructus; pars ventris posterior, fere triangularis, angulis scuti dorsuali posticis et tubere medio plus minus definita, tuberculis obtusis nitidissimis, plerisque rotundatis, abunde ornata, sed maculae luteae in parte hac sitae pleraeque tuberculis talibus carent. Epigyne minuta, forma paullo varians; corpus eius tuberculum format cornuum, nigrum, compressum, transversum, ca. 0·4 latum, a parte postica visum late triangulare, pariete postico utrimque prope ventrem fovea diffusa ornato, ceterum in universum subplano; scapus in apice corporis initium capit, lamella est etiam nigra, cornea, laevis, infra recurvata, ca. 0·1 lata, 0·05—0·06 longa, lateribus parallelis, apice rotundato-truncato, quum a latere postico adspicitur. A latere corpus epigynae modo triangulare videtur sensim in scapum contractum, modo lateribus fere parallelis, apice truncatum et scapum in angulo apicali anteriore gerens.

Cephalothorax cum sterno, partibus oris, palpis pedibusque niger; pars cephalica in declivitate antica, pars femoralis palporum subter, pedum femora subter, patellae pone, tibiae in latere inferiore postico (anteriores saltem) pilis albis ornata. Abdomen pictura paullo varians, supra flavo-testaceum ocellis partim nigris partim rufo-fuligineis; in altero exemplo ocellus marginalis anterior 3-ius cum centrali anteriore in macula communi situs nigra subtriangulari, pone transverse truncata et in parte exteriore paullo pone ocellum marginalem pertinenti, quae macula etiam cum ocello marginali antico 2-o colore nigro coniungitur; in altero exemplo praeterea colore nigro coniunguntur: ocellus anticus 1-us cum macula ocellum marginalem 3-um et centralem anteriorem continent, et ocelli centrales posteriores inter se; color niger ocelli antici 4-ti in vittam foras et paullo anteriores versus directam usque ad marginem abdominis dilatatus. Spinae rufo-fuligineae, laterales modo posteriores solae modo etiam anteriores in parte basali plus minusve lata rufo-testaceae. Pars dorsi pone scutum sita nigra, inter spinas flavo-testacea et macula parva nigra, plus minusve expressa ornata. Subter abdomen nigrum est marginibus inter spinas laterales flavo-testaceis aut etiam hic parum pallidius, flavo-testaceo maculatum: in lateribus tuberis medii maculae parvae aut minutae, utrimque binae, trapezium designant pone angustius; paullo pone mamillas utrimque macula una; prope

marginem posticum inter spinas posticas et laterales posteriores maculae utrimque binae, multo propiores spinae posticae quam laterali; nonnunquam exadversus spinam posticam macula tertia plus minusve manifesta; denique vitta a basi spinae lateralis posterioris intus et paullo anteriora versus directa, longitudine circiter spinam aequans, in partes duas divulsa, exteriorem subrectam et interiore leviter recurvata (in altero exemplo etiam ad basim spinae anterioris venter vitta brevi flava ornatur).

*Gasteracantha* haec imprimis *G. signiferae* Poc. affinis esse, sed ab ea spinis longioribus et ventre in lateribus non flavo differre videtur. An revera species sit propria, ulterius inquirendum est, variant enim *Gasteracanthae*, nonnullae saltem, spinarum longitudine non parum.

Nova Pomerania: montes Baining; mense Septembri, feminae adultae duae.

#### Poecilopachys E. Sim.

*Poecilopachys bispinosa* Keys.

Ins. Samoa: Upolu, femina.

#### Heteropoda.

*Heteropoda regia* (F.).

Ins. Samoa: Upolu, mas et feminae et exempla non adulta.

#### Palystes L. Koch.

**Palystes nigriventer** n. sp. (Taf. 17, Fig. 11).

Femina.

Cephalothorax 12·5 mm longus, 10·1 latus, fronte 6·5 lata. Oculorum series posterior recta, anterior modice procurva marginibus superioribus lineam subrectam designantibus. Diametri oculorum mediorum anticum et posticum 0·55, lateralium: posticum 0·58, anticum 0·87, intervalla oculorum posticum: medium 0·74, lateralia 0·84, anticum: medium 0·35, lateralia 0·06, mediorum antici et postici 0·97, lateralium antici et postici 0·74 longa; area oculorum mediorum pone 1·8, ante 1·4 lata, 2·0 longa. Clypeus sub oculis mediis 0·35, sub lateralibus 0·26 altus. Mandibulae 5·4 longae, ambae simul sumptae 6·0 latae, in margine postico sulci unguicularis dentibus ornatae quatuor, primo reliquis subaequalibus multo minore. Sternum in parte anteriore carina humili lata diffusa ornatum. Palporum pars femoralis supra aculeis 1·4, patellaris utrimque 1, tibialis supra 1, ante 2·1, pone 1·1, tarsalis ante 2·1, pone 1·1, pedum sex anteriorum femora supra in linea media 1·1 et utrimque 1·1·1, femur IV pone 1 solum prope apicem, ceterum ut anteriora, patellae omnes pone 1, tibiae I supra 1 aut 1·1, II 1·1, III 1, IV 1 aut 0, omnes praeterea in latere utroque 1·1, subter 2·2 et in apice 2, metatarsi in latere utroque 1·1 et subter 2·2 ab apice longe remotis, prope apicem autem IV soli in latere utroque supra 2 armati. Tarsi et metatarsi toti scopulati, supra scopulam utrimque vitta pilorum subadpressorum, tenuum, valde confertorum instructi; vitta simili etiam tibiae anteriores in dimidio apicali lateris antici ornatae. Pedes I 50·8, II 50·4, III 36·7, IV 41·5, femur, patella, tibia, metatarsus, tarsus pedum:

I.	14·0,	5·6,	14·0,	13·6,	3·5 mm
II.	14·4,	5·7,	13·9,	13·1,	3·3
III.	11·1,	4·5,	9·4,	8·8,	2·9
IV.	12·5,	4·5,	10·4,	11·0,	3·1

longa.

Abdomen (post partum) 14 longum, 9 latum. Epigyne lamina ornata cornea, ca. 1·8 longa et lata, in lateribus mediocriter modo, ante vero, ubi transverse truncata est, optime definita, posteriora versus modice et paullo inaequabiliter angustata, pone rotundata, sulco angusto nigro dimidiata, in laterum partibus

posterioribus ca.  $\frac{2}{3}$  paullo depressa, ceterum leviter modo convexa, in parte anteriore subtriangulari glabra, ceterum tenuiter et disperse, latera et marginem posticum versus densius et crassius pilosa. Ad marginem anticum laminae huius epigyne in foveam profundam subtriangularis, parum definitam, excavata est.

Hume factae araneae cephalothorax badius, pedes et palpi paullo pallidiores, illorum metatarsi et tarsi, anteriores saltem, leviter, horum pars tibialis modice, tarsalis insigniter infuscata (haec castanea), pedum femora subter non evidenter obscuriora quam supra. Mandibulae cephalothorace obscuriores, castaneae; membrana eas cum clypeo coniungens incarnata. Sternum paullo pallidius quam mandibulae, paullo obscurius quam cephalothorax; coxae sterno parum pallidiores. Abdomen supra cinerascenti-umbrinum, praeter puncta quatuor impressa, quae fuliginea sunt, pictura nulla evidentiore ornatum, subter et in lateribus nigrum, qui color in laterum parte superiore sensim in colorem dorsi abit; epigastrium et mamillae latericiae.

Cephalothorax exempli nostri magnam partem detritus est, pube densa, flavidocinerea tectus fuisse videtur. Mandibulae praeter pilos longiores obscurius coloratos pilis brevibus adpressis cinereo-albidis instructae, supra et in latere exteriore dorsi sat confertis, apicem et marginem interiorem versus magis magisque dispersis. Pili longi conferti curvati, quibus mandibulae in margine apicali anteriore et pone prope unguem ut et maxillae in margine apicali ornantur, laete albido-ferruginei. Sternum cum labio et maxillis purius, pedum coxae subter magis cinerascenti badiæ. Pedes cinereo-umbrini, scopulae parum aut non multo saltem obscuriores, vittæ pilorum supra eas sitae avellaneæ. Abdomen cinerascenti-umbrinum, in lateribus et prope mamillas sensim obscurius, cinerascenti castaneum. Venter proprius niger; area hoc colore tincta, male definita, ante totam fere latitudinem ventris occupat, a basi primo angustata, tum latitudine subaequali et quam area mamillarum latior, mamillas versus denique, ni fallor, dilatata. Epigastrii color pube parum mutatus. •

E speciebus huius generis Asiam et Australiam incolentibus *P. nigriventri* forma epigynæ similes sunt secundum descriptiones: *P. incanus* Thor., *P. Kochii* E. Sim., *P. speciosus* Poc. Ab eis omnibus *P. nigriventer* ventris pictura alia præsertim differre videtur.

(Ins. Shortland), Poporang femina. — Ins. Bougainville, exemplum non adultum et pullus fortasse huius speciei.

• **Clubiona** Latr.

*Clubiona* sp.?

Ins. Samoa: Upolu, exemplum non adultum.

**Dolomedes** Latr.

*Dolomedes facetus* L. Koch?

Ins. Samoa: Upolu, exemplum non adultum.

**Oxyopes** Latr.

*Oxyopes papuanus* Thor.

Ins. Salomonis: ins. Bougainville, mense Septembri, mas et femina.

**Bavia** E. Sim.

*Bavia aericeps* E. Sim.

Ins. Samoa: Upolu; mas unicus, bene cum descriptione et figura *Acompsae suavis* (quae teste Cel. E. Simonio synonymum est *Baviae aericipitis*) a Dre. L. Kochio in »Die Arachniden Australiens« prolatis, parum autem cum descriptione prima *Baviae aericipitis* (Ann. Soc. ent. France, ser. 2, vol. 7, p. 61) conveniens.

## Cosmophasis E. Sim.

*Cosmophasis squamata* n. sp. Taf. 17 (Fig. 12).

Femina.

Cephalothorax 2·75 mm longus, in  $\frac{2}{3}$  longitudinis, ubi latissimus est, 1·9, sub oculis posticis 1·85 latus, fronte 1·65 lata, similis atque in *Cosmophasi thalassina* (C. L. Koch). Quadrangulus oculorum ante 1·65, pone 1·7 latus<sup>1</sup>, 1·12 longus. Diametri oculorum anticum: mediorum 0·48, lateralium 0·26 oculorum seriei 2-ae 0·07, posticorum 0·25 (una cum eminentia, cui innati sunt hi oculi, 0·28) mm longae; intervalla oculorum anticum: medium 0·05, lateralia 0·097 longa; oculi seriei 2-ae ab anticis lateralibus 0·32, a posticis 0·27, oculi postici inter se 1·3, a margine cephalothoracis 0·91 remoti. Clypeus sub oculis mediis ca. 0·1 altus. Mandibulae (retractae) 0·44 longae, basi 0·26 latae, latere exteriore recto, apice intus late rotundato-angustatae, paullo projectae, leviter transverse rugosae, ante ad sulcum unguicularem dentibus duobus inaequalibus, pone dente uno forti, triangulari, apicem versus paullulo foras curvato instructae. Pedum I femur supra aculeis 1.1.3, patella 0, tibia ante 1, subter 2.2.2, metatarsus pone basim 2 et prope apicem 2, (pedes II desunt), pedum III femur 1.1.3, patella utrimque 1, tibia in latere utroque 1.1.1, subter pone basim 1 et in apice 2, metatarsus in dimidio basali supra 2 et subter 2 prope medium supra 1, prope apicem aculeis 5 ornatus; pedum IV armatura similis atque III, sed tibia subter pone basim aculeis 2 armata et aculei metatarsi duo inferiores fere in medio siti. Femur, patella, tibia, metatarsus, tarsus pedum I 1·5, 0·75, 0·98, 0·82, 0·6, III 1·5, 0·75, 1·0, 1·2, 0·52, IV 1·72, 0·78 1·85, 1·55, 0·65 mm longa. Abdomen (paullo contusum) 3·5, cum mamillis 3·9 longum, 1·6 latum, Epigyne mediocriter definita, ca. 0·7 longa, 0·55 lata, cornea, modice convexa, foveis ornata duabus profundis, elongatis, ca. 0·3 longis, 0·065 latis, intus et pone melius quam extrinsecus et ante definitis, inter se septo ca. 0·065 lato, subplano distinctis, pone, ubi leviter dilatatae et paullo foras curvatae sunt a margine postico epigynae 0·08 remotis; septum anteriora versus paullulo dilatatum, paullo longius quam foveae productum et sensim evanescens.

Humefactae araneae cephalothorax umbrinus, in lateribus paullo pallidior quam supra, dense inaequaliter nigro reticulatus, margine laterali nigro, macula nigra ornatus totam aream oculorum occupanti et paullo pone eam producta, pone excisa. Mandibulae rufesceni flavae; sternum et labium fuliginea, hoc apice late albidum; maxillae, palpi, pedes pallide flavi, metatarsus IV basi pone vitta brevi nigra pictus, tarsi posteriores saltem paullo pallidiores quam metatarsi. Abdominis dorsum nigricans et ferrugineum, dense rufescenti-flavo maculatum et fasciis non latis pallide flavidis ornatum tribus: prima in margine antico abdominis supra sita, in latera abdominis paullo (?) producta, secunda in  $\frac{2}{5}$ , tertia in  $\frac{2}{3}$  longitudinis posita, leviter recurvatis. Latera abdominis isabellina, pone colore laete ferrugineo tincta; venter obscure avellaneus. Epigyne fulva; mamillae et partes abdominis eis proximae nigrae. (Color abdominis in exemplo nostro non bene conservatus.)

Exemplum nostrum paullo detritum est; cephalothorax squamis tectus fuisse videtur oblongis, undulatis, iuxta positis, paene decoloribus, subpellucidis, iridescentibus, picturam nullam evidentiorem formantibus; oculi postici cingulo angustissimo albo cincti; cinguli oculorum anticum mediorum in lateribus ochroleuci, infra albidi (supra detriti); clypeus squamis elongatis albis, modice confertis tectus. Sternum praeter pilos albos sat longos squamis albidis paullo pellucidis instructum. Mandibulae, palpi, pedes pilis (neque squamis) ornati, palpi sat confertis praesertim apicem versus, albis, mandibulae et pedes dispersis, obscurioribus. Abdomen undique squamis tectum magnis rotundatis laevibus, ut tegulae in tecto altera alteram magna ex parte tegentibus, albidis, flavidis, pallidius et laetus ferrugineis, fuscis, nonnullis — ni fallor — decoloribus pellucidis; desiccatum abdomen supra flavido et ferrugineo, passim etiam fusco variegatum est, fasciis supra dictis modice expressis, albidis, et paullo pone fasciam posticam vestigio fasciae

<sup>1</sup> Etiam in femina *Cosmophasis thalassinae* quadrangulus oculorum paullulo latior est pone quam ante.

similis, brevioris, ornatum, prope mamillas nigricans nitidum; latera in parte anteriore magis cinerea, in posteriore magis ferruginea videntur, venter (secundum medium saltem) cinereus est, ad mamillas niger.

*Cosmophasis Marxii* (Thor.), quae e speciebus huius generis mihi notis, paucis, imprimis similis est huic speciei, differt ab ea foveis epigynae multo brevioribus (ca. 0·11 mm modo longis), vadosis, intus tantum septo bene definitis, ceterum diffusis.

Ins. Salomonis: ins. Bougainville; mense Septembri, femina adulta.

#### Menemerus E. Sim.

*Menemerus bivittatus* (Duf.).

Nova Pomerania: montes Baining, mense Septembri, femina adulta. — Ins. Samoa: ins. Savaii, fem.

#### Bathippus Thor.

**Bathippus Rechingeri** n. sp. Taf. 17. (Fig. 13, 14).

Mas.

Cephalothorax 4·6 mm longus, lateribus in parte media fere parallelis, sub oculis posticis 3·6, prope oculos anticos laterales 3·15, ante (cum oculis) 3·3 latus. Sulcus medius non longus, in margine postico areae oculorum situs; arcus superciliares oculorum posticorum et tubera inter oculos seriei 2-ae et anticos laterales intus sita optime evoluta; dorsum a latere visum statim a tuberibus oculorum posticorum posteriora versus descendens, primo leviter, tum cito, inaequabiliter arcuatum itaque; area oculorum modice declivis et paullulo arcuata. Area oculorum in cephalothorace directo desuper viso 2·55, quadrangulus oculorum 2·1 longus, hic ante 3·3, pone 3·05 latus; diametri oculorum anticum: mediorum 1·05, lateralium 0·62, oculorum seriei 2-ae 0·11, posticorum 0·65 longae; oculi postici inter se 2·25, a margine cephalothoracis 2·03, oculi seriei 2-ae a posticis 0·39, a lateralibus anticus (eorum cornea) 0·68 remoti; oculi antici medii inter se fere contingentes, a lateralibus non multo longius quam inter se remoti; linea medios supra tangens laterales fortasse in  $\frac{3}{4}$  altitudinis secat. Clypeus sub oculis mediis 0·3 altus. Mandibulae 4·4 longae, in dimidio apicali 1·05 crassae, 1·12 latae, in parte basali ca. 0·6 longa inter se contingentes, ceterum divaricatae et multo magis anteriora versus quam deorsum et magis anteriora versus quam foras directae, subcylindratae, a parte interiore superiore visae paene rectae, prope apicem in latere exteriore paullulo angustatae, a latere exteriore superiore adspectae basim versus leviter sursum curvatae, apicem versus supra vix, infra leviter attenuatae, supra subterque leviter transverse plicatae in parte interiore, in exteriore autem paene laeves, versus sulcum unguicularis pilis modice longis, erectis, non dense ornatae, ceterum minute disperse pilosae. Sulcus unguicularis vadous, supra subterque carina obtusa et humili definitus, ornatus supra dentibus 6, subter autem 8 aut 9; e dentibus superioribus primus ibi situs, ubi mandibulae a se discedunt, secundus et tertius gradatim maiores, a dente primo et inter se non longe remoti; dens 4-us 3-10 non multo maior, longitudine ca.  $\frac{1}{3}$  diametri mandibulae aequans, fere in  $\frac{3}{7}$  altitudinis situs; 5-us apici mandibulae paullo propior quam denti 4-to; sextus antecedentibus multo minor, brevis, acutus, angulum apicalem interiorem mandibulae ornat; dentes 1 — 5 graciles conici, 5-us modice procurvus, reliqui recti. Dens inferior ultimus longitudine dentes superiores 4 et 5-um circiter aequat, sed multo latior est, non multo longior quam latior, complanatus, oblique anteriora versus directus, apicem acutum versus inaequabiliter angustatus, latere postico convexo, antico sigmoidi; dens hic a basi unguis circiter latitudine sua distat; reliqui conici graciles, dentibus superioribus maximis multo minores, (basi proximus minutus), inter se et a dente ultimo in altera mandibula spatiis mediocriter modo, in altera valde inaequalibus distantes. Unguis 4·3 longus, apicem versus subaequaliter attenuatus, dentibus et tuberibus carens, in parte basali fortiter, in apicali modice inflexus, in parte media longa paullulo foras curvatus (latere mandibulam spectanti convexo). Sternum 1·7 longum, 1·2 latum, subellipticum, ante paullo truncatum et ca. 0·55 latum. Labium maxillis circiter duplo brevius, hae apicem versus in latere

exteriore modice dilatatae, angulo apicali exteriore obtuso. Palpi tenues, trochantere non elongato, parte femorali 2·2 longa, 0·35 crassa, apice 0·42 lata, subcylindrata, sat fortiter deorsum curvata, supra prope medium et prope apicem aculeo 1 armata; pars patellaris 1·1 longa, 0·36 lata, lateribus subparallelis; tibialis 1·4 longa, 0·26 lata, paene cylindrata, subter apice tantum paullulo incrassata, levissime deorsum curvata, in latere exteriore apicis processu ornata compresso, ca. 0·3 longo, basi 0·13 alto, apicem versus paullo inaequabiliter attenuato, apice obtusiusculo, anteriora versus et paullo foras et deorsum directo, paullulo deorsum curvato. Lamina tarsalis 1·5 longa, 0·45 lata, prope medium angustata et 0·35 lata, tum in parte apicali lateribus parallelis (imo levissime dilatata), apice sat longe et oblique angustata; rostrum ca. 0·65 longum. Stemma parvum, humile; bulbus genitalis ca. 0·55 longus, 0·42 latus, lateribus leviter rotundatis, basi paullo oblique truncatus (in latere exteriore longior). Pars terminalis e scutulo constare videtur paullo inaequali, pallido, 0·27 lato, 0·22 longo, ante angulato (?), intus et pone et extrinsecus rotundato; cuius scutuli latus exterius in embolum abit 0·24 longum, basi 0·065 latum, complanatum, in latere exteriore corneum, in interiore membranaceum, anteriora versus directum, leviter incurvatum, leviter angustatum, apice paullulo dilatatum et truncatum. Pedum femora sex anteriora supra aculeis 1.1, prope apicem ante 3 et pone 1, II et III etiam in latere antico aculeo 1 prope medium, femora IV supra aculeis 1.1.1 et prope apicem pone 1, patellae omnes in utroque latere 1, tibiae I subter utrimque 1.1.1, ante 1.1.1, pone 1.1, tibiae II subter 2.2.2, ante 1.1 aut 1.1.1, pone 1.1, III supra 1 pone basim, in latere utroque 1.1.1, subter 2 medium versus et 2 in apice, IV supra et in lateribus ut III, subter aculeis 2 inter basim et medium et in apice 1 pone, metatarsi anteriores subter 2.2 et in latere utroque 1.1, metatarsi III prope basim 3 (2 pone, 1 ante supra), subter duobus, antico paullo, postico insigniter longius a basi remoto quam priores, prope apicem aculeis 5, metatarsi IV ut III aculeati et insuper supra aculeis 2 paullo longius quam inferior posticus a basi remotis instructi. Pedum coxae (subter), femora, patellae, tibiae, metatarsi, tarsi:

I.	1·65,	4·3,	2·18,	4·88,	3·98,	1·8	mm
II.	1·28,	3·5,	1·73,	2·85,	2·4,	1·28	
III.	1·2,	5·2,	1·95,	3·38,	3·38,	1·35	
IV.	1·13,	3·3,	1·13,	2·30,	2·7,	1·20	

longa.

Abdomen (paullo corrugatum) 5 mm, cum mamillis 5·5 longum, 2·4 latum, elongato ovatum ante latius, margine antico paullo truncato.

Humeactus cephalothorax testaceus, anguste nigro marginatus, in parte posteriore inferiore laterum et in lateribus declivitatis posticae leviter colore umbrino variegatus, parte media declivitatis, quae restat testacea, circiter femora antica latitudine aequanti; oculi utriusque lateris in vitta nigra, ad oculos serici 2-ae coarctata siti. Mandibulae cephalothorace paullo obscuriores, latericiae, unguis colore simili, apicem versus paullo pallidior. Sternum et pedum posteriorum coxae pallide fulvae, coxae anteriores paullo obscuriores. Maxillae mandibulis paullulo pallidiores, labium obscurius. Pedes fulvi, anteriores colore umbrino suffusi, tarsi posteriores flavidi, antici basi et summo apice flavidi, ceterum rufo-fuliginei, femora et patellae et tibiae apice in lateribus et subter plus minusve manifesto nigricanti marginata; palpi flavidumbrini, pedibus I colore non dissimiles. Abdomen supra fuligineum, vitta media avellanea lata ornatum, cuius forma in exemplo nostro mediocriter modo conservata videtur: ante vitta haec aequa circiter atque pedum femora lata est, usque circiter ad medium abdomen leviter et fere aequabiliter dilatata, in parte latissima utrimque macula diffusa umbrina notata, paullo post sat fortiter angustata et hic angulo tenui refracto perfecta, circiter in  $\frac{1}{3}$  postica inaequalis, tamquam ex arcubus crassis recurvatis paucis composita (postrema pars vittae huius in exemplo nostro deleta). Venter obscure avellaneus, obsolete umbrino variegatus et fortasse vitta media umbrina ornatus. Latera infra avellanea fuligineo striolata, supra color eorum sensim in colorem dorsi abit. Tuberculum anale et mamillae superiores subnigrae, mamillae inferiores obscure avellaneae, basi fuligineae.

Exemplum nostrum valde detritum est, pilis modo neque squamis tectum fuisse videtur; intervalla oculorum anticum lateralia saltem aurantiaco, spatium oculis anticum lateralibus et posticis interiectum magis ferrugineo pilosum; clypeus pilis modo dispersis, pallide coloratis instructus (?); palporum lamina tarsalis in parte apicali sat magna dense albido, ceterum obscure pilosa. Venter et latera abdominis in partibus pallidis albido, in obscuris ferrugineo et fuligineo pilosa videntur.

Ins. Salomonis: ins. Bougainville; mense Septembri, mas adultus..

**Palpelius E. Sim.**

***Palpelius?* *discedens* n. sp. (Taf. 17, Fig. 15, 16).**

Femina.

Cephalothorax 6·1 mm longus, inter pedes II et III 4·7 latus, inde anteriora versus primo leviter modo, denique prope oculos anticos laterales lateribus rotundatis fortius angustatus, sub oculis posticis 4·5 latus, fronte 3·35 lata. Sulcus medius modice longus, profundus, in margine postico areae oculorum situs. Arcus superciliares oculorum posticorum bene evoluti, eorum partes posticae cum parte antica sulci medii impressione levi coniunctae; area oculorum inter oculos seriei 2-ae et anticos laterales, intus, tubere lato humili ornata. In cephalothorace a latere viso area oculorum modice declivis est et levissime arcuata, pone oculos dorsum in spatio sat longo posteriora versus leviter descendit et cum declivitate postica arcum format paene aequabilem. Area oculorum 2·85, quadrangulus oculorum 2·25 longus, hic ante 3·35, pone 3·1 latus. Series antica oculorum sat fortiter sursum curvata, marginibus superioribus mediorum cum punctis mediis lateralium lineam subrectam (paullulo sursum curvatam) designantibus. Diametri oculorum anticum: mediorum 1·07, lateralium 0·62, oculorum seriei 2-ae 0·15, posticorum 0·58, intervalla anticum: medium ca. 0·065, lateralia ca. 0·20 longa; oculi seriei 2-ae ab anticos lateralibus (ab eorum cornea) 0·65, a posticis 0·52, hi inter se et a margine cephalothoracis 2·3 remoti. Clypeus humilis (sub oculis mediis fortasse 0·15 altus). Mandibulae 2·3 longae, in medio 1·65, basi modo 1·2 latae, leviter proiectae, dorso supra sat fortiter, ceterum parum convexo in longitudinem, in latere exteriore a basi medium versus insigniter rotundato-dilatatae, infra parallelae, in dorso leviter transverse plicatae; sulcus unguicularis ante dentibus ornatus duobus mediocribus, primo quam secundus minore, pone dente insigniter maiore, complanato, acuto, inaequabiliter attenuato (latere interiore paullulum convexo, exteriore in angulum fracto). Sternum 2·6 longum, inter paria pedum II et III 1·88 latum et paullo latius quam coxae II longae, posteriora versus primo leviter tum fortissime sinuato angustum, anteriora versus modice angustum, margine antico truncato, 0·6 lato. Labium 1·2 longum, 0·8 latum, pone basim leviter constrictum, lateribus ceterum leviter rotundatis, apice late truncatum. Maxillae intus paene duplo longiores quam labium, earum partes labio et coxis non tectae modice divaricantes, latere exteriore et interiore rectis et parallelis, apice transverse rotundato-truncato, angulis non prominentibus. Palporum pars femoralis supra aculeis 1.1.3, et in latere exteriore superiore pone basim aculeo uno ornata; partes patellaris, tibialis, tarsalis: 1·15, 1·25, 1·6 longae, 0·58, 0·45, 0·42 latae, tarsalis a basi usque ad medium lateribus parallelis, tum in latere interiore leviter angustata, in lateris huius dimidio basali insigniter densius quam in latere exteriore, longe pilosa. Coxae I labii latitudine inter se remotae. Pedum sex anteriorum femora supra ornata aculeis 1.1 et prope apicem ante 3 et pone 1, praeterea I in latere postico 1, II et III ante 2 et pone 1, femora IV supra 1.1, ante 1.1, prope apicem ante 2 et pone 1; patellae quatuor posteriores modo aculeis, utrimque 1, armatae; tibiae I subter aculeis fortibus, ex parte paullulo sigmoidibus, 2.2.2, inter et paullulo supra aculeum 2-um et 3-um anticum aculeo 1 simi instructae, tibiae II armatura simili, praeterea in latere antico aculeis 1.1, pone basim et in medio, tibiae III et IV supra 1 pone basim, ante et pone 1.1.1, subter 1 pone basim et 2 in apice, metatarsi quatuor anteriores subter 2.2, III prope basim supra 1, in latere antico superiore 1, in postico superiore 1, deinde subter 2 a basi longius remotis, ad apicem aculeis 6, metatarsi IV armatura simili et insuper supra aculeo

1 utrimque quam aculei inferiores medio propiore ornati. Pedes I mediocriter modo incrassati, III et IV subaequali longitudine, sed III quam IV insigniter crassiores (praesertim femur et patella). Internodia pedum:

I.	4·35,	2·7,	4·28,	3·45,	1·58 mm
II.	4·13,	2·48,	3·38,	2·88,	1·35
III.	4·88,	2·25,	3·3,	3·9,	1·65
IV.	4·5,	1·8,	3·6,	3·95,	1·88

longa.

Abdomen 9 mm, cum mamillis 9·5 longum, 3·1 latum, circiter in  $\frac{1}{3}$  latissimum, anteriora versus leviter, mamillas versus insigniter, lateribus paene rectis, angustatum, ante late truncatum et leviter rotundatum. Epigyne male definita, ornata foveis duabus vadosissimis sed optime definitis, ovatis pone latioribus, 0·34 longis, 0·24 latis, obliquis, diametro maiore anteriora versus et intus directa, coniunctim spatium 0·6 latum, 0·32 longum occupantibus, a margine postico epigynae 0·24 remotis; pars epigynae pone foveas sita cornea est (pallide fulva) ut etiam pars posterior septi, quo foveae inter se distinguuntur, fere plani, paullo pone marginem anticum 0·09 lati, posteriora versus leviter dilatati; reliquae partes epigynae molles aut leviter modo induratae.

Hume factae araneae cephalothorax fulvo-flavidus, angustissime nigro marginatus; area oculorum rufo-umbrina, ad oculos anticos medios nigra, utrimque maculis nigris duabus inter se fere coniunctis picta, quarum posterior oculos posticos supra et ante late, pone et infra anguste cingit, anterior vero oculum seriei 2-ae amplectitur, eminentiam in parte areae exteriore antica sitam occupat et oculum anticum lateralem pone late attingit; declivitas postica utrimque vitta picta umbrina, mediocriter modo expressa, inaequali, plus minusve in fascias obliquas divisa; vittae hac aeque circiter atque pedum femora latae oculos posticos longe non attingunt, paullo supra marginem posticum cephalothoracis evanescunt, spatium includunt ante paullo angustius quam intervallum oculorum posticorum, posteriora versus lateribus rotundatis angustatum, pone duplo circiter angustius quam ante. Mandibulae, maxillae, labium fere colore cephalothoracis, labii margines in dimidio basali nigri. Sternum et coxae flava, pedes ceterum colore cephalothoraci similes, palpi paullo pallidiores, dilute flavi. Abdomen avellaneum, dorsum vittis duabus pictum inaequalibus, in universum angustis, modice definitis, maiore ex parte fuligineis, ante vero badiis, marginem anticum non attingentibus, ad apicem dorsi inflexis et inter se coniunctis; spatium vittis his inclusum ante latitudine dimidium abdomen paullo superat, pone totam fere latitudinem dorsi occupat (in exemplo, quod — ni fallor — ova deposuerat). Paullo sub vittis dictis latera abdominis in dimidio anteriore vitta angusta, similem in modum colorata, interrupta ornantur. Venter in parte postica (non in postrema) macula oblonga fuliginea pictus. Scuta pulmonalia fulva; mamillae supremae fulvae, infimae badiae, basim versus pallidiores, apice ut supremae albidae.

Area oculorum (ex parte detrita) tota squamis valde angustis, confertissimis, cremeis, in margine postico et in lateralibus magis ochroleucis, subopacis, tecta videtur; facies tota cremeo pilosa; reliqui scuti dorsalis color pilis luteis nitidis adpressis, non densis, parum mutatus. Mandibulae non dense longe albo pilosae; palporum et sterni pili albi. Abdomen supra squamis tectum valde angustis, confertis, quae sensim abeunt in pilos ventrem ornantes; pubes haec infra et in laterum parte inferiore alba, ceterum pallide ochroleuca, subopaca in partibus pallidis, ferruginea, laete metallico micans in fasciis obscuris (quarum partes posteriores in exemplo nostro detritae sunt).

Non sine haesitatione speciem hanc generi *Palpelio* subiungo, differt ea enim a specie typica *Palpelii* (*P. Beccarii* Thor.) pedibus anterioribus minus aculeatis: patellae I et II inermes sunt, tibiae I praeter aculeos 6 subter sitos aculeo 1 modo in latere antico infra ornantur, metatarsi II aculeis lateralibus carent. (In *P. Beccarii* patellae anteriores in latere antico aculeo 1, tibiae I in latere eodem aculeis 1.1 minoribus et 1 maiore, demissius sito, metatarsi II in latere antico aculeo 1 pone basim ornantur.)

Nova Pomerania: montes Baining, mense Septembri, femina adulta.

## Cytaea Keys.

*Cytaea subsiliens* n. sp. (Taf. 17, Fig. 17, 18).

Femina a specie typica huius generis: *C. alburna* Keys., praeter staturam minorem, forma cephalothoracis paullo alia et epigyna imprimis distincta.

Cephalothorax 2·55 mm longus, a margine antico posteriora versus paullulo modo dilatatus, in parte latissima 1·75, sub serie oculorum postica (qua paullulo modo latior est) 1·72, ante — oculis exceptis — 1·58 latus (*Cytaeae alburnae* unicae, quam vidi, e collectione Cel. G. W. Peckhamii, cephalothorax 3·0 longus, in parte latissima 2·32, sub serie postica oculorum — 1·78 lata — 2·18, oculis omissis ante 1·72 latus), arcubus superciliaribus oculorum posticorum distinctis, prope oculos anticos laterales non evidenter tuberculatus; sulcus medius brevissimus, vadosus, in margine postico areae oculorum situs. Area oculorum directo desuper visa 1·35 longa, quadrangulus oculorum 1·07 longus, ante 1·65, pone 1·58 latus (pars thoracica desuper visa 1·2 longa, brevior itaque quam area oculorum sed quadrangulo eorum longior; in *C. alburna* pars thoracica 1·58, area oculorum 1·42, quadrangulus 1·12 longus). Series oculorum antica fortius recurvata quam in *C. alburna*: linea oculos medios supra tangens laterales fortasse in  $\frac{2}{3}$  (in *C. alburna* fortasse in  $\frac{3}{4}$ ) altitudinis secat, quum cephalothorax marginibus lateralibus libratis directo a fronte adspicitur. Diametri oculorum seriei 3-ae 0·28 (pupillae 0·24), seriei 2-ae 0·055, anticorum mediorum 0·50, lateralium 0·28 longae; oculi seriei 2-ae a posticis 0·27, a lateralibus anticis (ab eorum corneis) 0·36, oculi antici mediis inter se ca. 0·05, a lateralibus ca. 0·08, postici inter se 1·26, a margine cephalothoracis 1·0 remoti; clypeus sub oculis mediis 0·16 altus. Mandibulae 0·88 longae, 0·45 latae, dorso paene laevi, disperse piloso, sub clypeo insigniter, ceterum leviter convexo in longitudinem; sulcus unguicularis pone dente lato, apice truncato et emarginato, ante in altera mandibula dentibus 4, 1-mo et 4-to minutis, 2-do quam 3-us minore armatus; in altera mandibula deest denticulus primus. Sternum, labium, maxillae similia atque in *C. alburna*. Palporum pars femoralis supra aculeis 1.1.2 armata. reliquae partes inermes. Pedum I et II femur supra aculeis 1.1 et prope apicem ante 3 et pone 1, patella in utroque latere 1, tibia 1 supra pone basim, in latere utroque 1.2, subter 2.2.2, metatarsus subter 2.2 et in latere utroque 1.1, pedum IV femur supra 1.1.3, patella utrimque 1, tibia supra 1 pone basim, ante et pone 1.2, subter 1.2 (?), metatarsus, praeter aculeos prope apicem sitos 6 aut 5, aculeis 6 ornatus: 2 pone basim supra, 2 a basi longius remotis infra, 2 supra prope medium sitis; pedum III armatura similis, sed femur ad apicem aculeis 4, tibia pone aculeis 1.1 solum instructa, metatarsus caret aculeis duobus supra prope medium sitis. Internodia pedum:

I.	1·33,	0·81,	1·03,	0·97,	0·61 <sup>1</sup> mm
II.	1·33,	0·78,	0·94,	0·87,	0·58
III.	1·62,	0·81,	0·92,	1·20,	0·68
IV.	1·55,	0·71,	1·03,	1·29,	0·65

longa.

Abdomen 3·4, cum mamillis 3·6 longum, 1·9 latum, desuper visum elongato ovatum, paene ellipticum. Epigyne male definita, leviter modo convexa, fovea ornata 0·29 lata, 0·20 longa, a margine postico 0·08 distanti, ante et in lateribus rotundata et margine acuto definita; ad marginem fovea ante et in lateribus modice profunda est, ceterum fundus eius leviter convexus et marginibus non humilius; pone fovea non clausa est, marginis enim eius postici pars utraque, aequabiliter incurvata, in foveam ingreditur et in media fere eius longitudine evanescit in puncto, quod spatiis subaequalibus distat a linea mediana et a margine laterali foveae. Humefacta epigyne, pallide colorata, margine foveae ornatur ante valde angusto et parum quam reliqua epigyne pallidiore, posteriora versus sensim latiore et obscuriore, fulvo, in maculam

<sup>1</sup> Tarsi cum fasciculis pilorum apicalibus.

badiam desinenti; fundus foveae inter has maculas badias et marginem anticum maculis duabus aliis pallidioribus, parum definitis (partibus quibusdam interioribus, translucentibus) pictus.

Exemplum nostrum valde detritum est, etiam color cutis ex parte (in abdomine) deperditus videtur. Humefactus cephalothorax pallide flavidus in lateribus, angustissime fusco marginatus; area oculorum pallide fulva, ad oculos anticos medios paullo infuscata, in utroque latere maculis duabus nigris ornata, quarum posterior oculum posticum undique sat late (supra latius quam infra) cingit, anterior oculum anticum lateralem pone tangit et oculum seriei 2-ae amplectitur; maculae ambae unius lateris colore badio inter se coniunctae vittam formant inaequalem: margine interiore ante angulato-, pone rotundato-dilatato; pars dorsi oculis et margini postico interiecta, posteriora versus insigniter angustata, in lateribus fulva est, secundum medium autem vitta ornatur pallide flava, pone aequo circiter atque pedum tibiae lata, ante latiore et diffusa. Mandibulae dilute fulvae. Sternum, palpi, pedes pallide flava, horum patellae, tibiae metatarsi colore fulvo suffusa; tibia I in latere antico maculis duabus nigris ornata, altera paullulo pone basim, altera paullo pone medium sita; vestigia macularum simili, minorum, parum manifesta in latere antico tibiae II cernuntur. Maxillae et labium sterno parum obscuriora. Abdomen pallide avellaneum vestigia picturae obscurioris haec praebet in dorso: ante vittas duas oblongas, circiter  $\frac{1}{3}$  longitudinis occupantes, ante circiter tibiarum latitudine inter se distantes, posteriora versus paullo a se discedentes; in medio angulum crassum, cruribus procurvis, apice anteriora versus directum, non totam latitudinem dorsi occupantem; paullo pone  $\frac{3}{4}$  longitudinis fasciam parum latam, in angulum refractam, margines abdominalis desuper adspecti attingentem. Mamillae pallide fulvo-flavidae.

Cephalothorax et abdomen squamis partim oblongis, partim fere piliformibus tecta fuisse videntur. Clypeus sub oculis fascia alba, paullo sursum curvata ornatur: intervalla oculorum anticorum et linea ab intervallo mediorum paullo descendens aurantiaca; oculi utriusque lateris vitta aurantiaca aut ferruginea coniuncti; supra oculos anticos laterales et supra posticos squamae (paucae?) albae; (reliqua area oculorum detrita). Latera cephalothoracis sub oculis fascia alba non lata, paullo pone oculos producta picta, ceterum squamis (dispersis?) decoloribus, iridescentibus, undulatis instructa; dorsi pars posterior in lateribus fuligineo et ferrugineo, secundum medium albo squamata. Sternum pilis modo tenuibus, neque squamis, instructum videtur. Palpi albo pilosi. Abdomen subter pilis albidis, in lateribus et supra squamis albis, aurantiacis, ferrugineis, fuligineis, nigris tectum; squamae in exemplo nostro pleraeqe detritae; pars dorsi antica parva, quae non detrita est, alba secundum medium, flavo-ferruginea in lateribus.

Ins. Samoa: Upolu; femina.

*Cytaea lepida* n. sp. Taf. 17. (Fig. 19).

Femina.

Cephalothorax similis atque in *Cytaea albuna* Keys. sed area oculorum cum parte thoracica comparata breviore, 4·1 mm longus, inter pedes II et III 3·0, sub oculis posticis 2·77, ad oculos anticos laterales 2·25 latus. Area oculorum directo desuper visa 1·8, quadrangulus 1·46 longus, hic paene rectangulus, ante 2·33, pone 2·30 latus. Series oculorum etiam paullo fortius quam in *C. subsilienti* recurvata. Diametri oculorum anticorum: mediorum 0·68, lateralium 0·39, oculorum seriei 2-ae 0·07, posticorum 0·37 (pupillae 0·33), intervalla oculorum anticorum: medium 0·08, lateralia 0·16 longa; oculi seriei 2-ae ab anticis lateribus 0·48, a posticis 0·39, hi inter se 1·8, a margine cephalothoracis 1·5 remoti. Clypeus sub oculis mediis ca. 0·38 altus. Mandibulae 1·4 longae, 0·9 latae, dorso sublaevi; sulcus unguicularis ante in altera mandibula dentibus 6, in altera 5, gradatim maioribus, pone dente emarginato instructus. Palporum pars femoralis supra aculeis 1·1.4 armata. Pedum II et III femur supra aculeis 1·1 et ad apicem ante 3 et pone 2, femur IV 1·1.3, tibia IV subter 2·2, tibia III pone 1·2, subter 2·2 ornata, ceterum pedes 6 posteriores ut in *C. subsilienti* aculeati (pes I alter deest exemplo nostro, alter refectus). Internodia pedum II ca. 2·4, 1·5, 1·73, 1·54, 0·98, III ca. 2·4, 1·42, 1·58, 1·87, 1·0, IV ca. 2·4, 1·2, 1·76, 1·98, 1·0 longa. Abdomen (contusum) ca. 4·5, cum mamillis 4·8 longum, 2·3 latum.

Epigyne, parum indurata, male definita, area pallida glabra ornatur, maximam partem fere plana, pone non procul a margine postico sulco transverso vadoso instructa (num constanter?), ca. 0·5 lata, lateribus rotundatis posteriora versus insigniter angustata, ante utrimque oblique truncata et paullo sinuata, in medio in angulum desinenti sensim humiliorem et evanscentem, una cum hoc angulo ca. 0·6 longa. Impressiones, quibus area dicta ante definitur, obliquae, oblongae, in fundo paullo inaequales (altera earum in exemplo nostro ex parte signo coitus repleta videtur). In epigyna humefacta, pallide flava, marginibus areae glabrae vittae respondent ferrugineae, obliquae, angustae, angulum apice late interruptum formantes; depressiones anticae etiam ex parte obscurius coloratae.

Hume factus cephalothorax pallide flavidus, supra colore fulvo suffusus; pars cephalica macula fuliginea et nigra ornata totam aream oculorum occupanti, in medio utrimque obscure badia, pone, ubi in angulum recto parum maiorem excisa est, in medio sulcum ordinarium modo attingenti, in lateribus autem pone oculos posticos paullo producta; prope angulos posticos maculae huius vittae initium capiunt e lineolis fuscis, sat obsoletis compositae, parum latae, retro et paullo intus directae, supra marginem cephalothoracis posticum inter se coniunctae. Mandibulae colore cephalothoracis. Sternum flavidum, maxillae et labium eo paullo obscuriora. Palpi et pedes flavi, horum tibiae et metatarsi et tarsi colore fulvo paullo suffusi. Abdomen subter et in lateribus avellaneum, supra magis flavidum; cutis dorsi subconcolor esse et dorsi pictura (de qua infra) e squamarum colore solum pendere videtur. Tuberculum anale et mamillae supremae subnigrae, mamillae infimae pallide fulvae.

Cephalothorax exempli nostri maximam partem detritus est, squamis elongatis confertis tectus fuisse videtur. Facies tota dense dilute flavo squamosa et pilosa, supra oculos anticos medios modo squamae paucae ferrugineae; latera cephalothoracis colore simili atque facies videntur, sub oculis colore pallide miniaceo paullo variegata; vittae obscurae posteriores squamis nigricantibus ex parte saltem tectae. Mandibulae secundum marginem interiore pilis nonnullis longis, non adpressis, albis, ceterum pilis dispersis fulvis instructae. Sternum non dense albo pilosum. Palpi pilis sat longis, plerisque albis ornati. Pedes squamis decoloribus et pilis, plerisque obscure coloratis, in femorum parte inferiore autem albis patentibus instructi. Abdomen squamis oblongis, latioribus quam in cephalothorace, obtusis, mediocriter nitentibus aut opacis densissime tectum, supra vitta media ornatum cremea,  $\frac{1}{3}$  fortasse abdominis desuper adspecti occupanti, posteriora versus leviter angustata, marginibus paullo inaequalibus, in dimidio posteriore ramulos emissenti utrimque duos, foras et retro directos, non latos, cremeos ferrugineo variegatos; quorum ramulorum anteriores paulo pone medium abdomen siti sunt, posteriores vero in medio inter eos et mamillas. Reliquae partes dorsi ad vittam medianam ante angustius, pone latius nigerrimae, magis foras miniaceo-ferrugineae, paullo nigro et albo variegatae, qui color sensim abit in colorem laterum abdominis stramineum ante crasse nigro lineolatum, posterius maculis parvis et punctis nigris adpersum; paullo ante medium laterum fascia obliqua cernitur, ramulis supra dictis similis, sed fasciam medium non attingens. Venter cum parte inferiore laterum albus.

Ins. Salomonis: ins. Bougainville; mense Septembri, femina adulta.

#### Ascytus Karsch.

*Ascytus pterygodes* (L. Koch).

Ins. Samoa: Upolu; mares adulti et iuvenis.

#### Opiliones.

*Gagrella Stol.*

*Gagrella mediocris* n. sp.

Femina.



Truncus 4·7 mm longus, 3·0 latus. Cephalothorax directo desuper visus 1·28 longus in linea media, inter pedes III 2·55 latus, margine antico recto 1·0 lato; dorsum eius inter tuber oculorum et marginem anticu mediocriter modo declive et rectum in longitudinem; triangulum paullo impressum, in quo situm est tuber oculorum, pone melius definitum quam in lateribus, eius latus posticum 1·45 longum, cum basi tuberis pone contingens; impressiones marginibus lateralibus parallelae mediocriter modo evolutae; pars cephalothoracis antica lateralis utraque paullo depressa. Paene opacus est cephalothorax in parte posteriore, mediocriter modo nitens in anteriore, granulis minutis dispersis ornatus in illa, in hac squamis materiae albidae abunde ornatus. Tuber oculorum a margine antico cephalothoracis 0·52 remotum, sursum et paullo anteriora versus directum, a fronte visum 0·4 altum, supra 0·52, infra 0·4 latum, a latere visum lateribus parallelis, antico quam posticum circiter dimidio altiore, 0·39 latum, dorso modice convexo et anteriora versus sat fortiter declivi; oculi diametro 0·23 longa, supra inter se 0·21 remoti, a latere adspecti marginem superiore tuberis attingentes, a latere antico et a postico spatiis subaequalibus remoti. Paene laeve est tuber oculorum, modice nitidum, granis et dentibus caret omnino, supra et pone et in parte superiore lateris antici late sulcatum, sulco a fronte viso parum profundiore, quam quo oculi supra a tubere distinguuntur. Processus supramandibulares desuper adspecti 0·16 longi, basi 0·24 lati, oblique triangulares, apice non late rotundati, intus basi contingentes, apicem versus paullo a se discedentes, opaci, granis et dentibus carentes. Scutum dorsuale 2·6 longum, 2·8 latum, modice et fere aequabiliter convexus, ornatum spina sursum et paullulo anteriora versus directa, 0·52 alta, gracili, a basi primo cito, tum modice attenuata, in  $\frac{2}{5}$  altitudinis 0·12 crassa et paullo inaequali: passim leviter constricta, apice obtusa, subtilissime modo reticulata, ceterum laevi; praeter pilos breves crassiusculos acutos dispersos, qui sub microscopio cernuntur, scutum ornamentis aliis caret, opacum est. Segmenta ventralia libera (tria praeter operculum anale) densissime subtilissime rugulosa; segmenta ventralia sculptura simili; pedum coxae subter densissime elevato (?) reticulatae, paullulo nitidae, granulis parum perspicuis, aculeum minutissimum gerentibus, dispersis, evidentioribus et numerosioribus in coxis I quam in reliquis ornatae et in margine antico serie conferta dentium instructae, qualibus coxae *Gagrellarum* ornari solent (compressorum, apicem truncatum et inaequalem versus dilatatorum), coxae I etiam in margine postico serie dentium talium, minus conferta, armatae; operculum genitale in margine exteriore dentibus similibus ca. 8, arcu genitales in margine interiore dentibus paullo paucioribus instructi. Mandibulae parte basali ca. 0·55 longa, basi 0·26, prope apicem 0·32 lata, articulo 2-do 2·3 longo, 0·32 lato, pilis brevibus dispersis erectis instructo, granis et dentibus ut pars basalis carenti. Palporum pars femoralis 0·9 longa, apice paullulo dilatata, a latere visa latitudine ubique aequali, infra lateri exteriori propius denticulis minutis conicis suberectis ca. 8 et in latere inferiore interiore denticulis etiam paullo minoribus ca. 5 instructa; pars patellaris 0·53 longa, basi 0·18, prope apicem 0·26 lata, paullo pone basim 0·16, non procul ab apice 0·26 crassa, desuper visa paullulo modo asymmetrica: margine apicali paullo oblique in angulum latum rotundatum fracto, latere interiore quam exterius paullulo longiore et usque ad apicem recto, exteriore autem prope apicem leviter rotundato; denticulis similibus atque denticuli partis femoralis, sed magis obliquis ornatur pars patellaris praesertim in latere interiore, ubi eos ca. 40 vidisse videor, minoribus autem et paucioribus (15 — 20) in latere exteriore, supra vix ullis; pars tibialis supra in linea media 0·57 longa, 0·195 lata et crassa, apicem versus levissime attenuata et angustata, levissime deorsum curvata, opaca, ut pars patellaris sed minus abunde denticulata in latere interiore (parte apicali subinermi), etiam minus in exteriore, subter inermis aut denticulo uno alterove ornata; pars tarsalis 1·25 longa, 0·13 lata. Pedes pilis longioribus carent, denticulis minutis conicis obliquis ornantur in femoribus patellis tibiis I, III, IV, et in parte quadam metatarsorum IV (pedes II desunt). Pedum I femur 9, III 8 $\frac{1}{2}$ , IV 11 $\frac{1}{2}$ , femur cum patella et tibia I 17 $\frac{1}{2}$ , III 17, IV 22 mm longum.

Cephalothorax coloribus nigro, fuligineo, badio, flavido-albo variegatus, tubere oculorum nigrocastaneo; albida sunt: fascia angusta marginem anticu occupans, utrimque supra coxas I producta, hic posteriora versus dilatata et maculam parvam fuligineam includens; vitta media latiuscula, tuber oculorum cum margine antico coniungens, in parte anteriore colore umbrino dimidiata; vittae lateribus impressionis

mediae triangularis respondentes, latus eius posticum non attingentes, paulo inaequales et plus minusve interruptae. Partes vittis dictis interiectae nigro-castaneae; impressio media obscure fulva, angulis posticis et parte antica castaneis; in angulo marginis coxae II et III interiecto vitta initium capit angusta, pallide fulva, retro et paulo intus directa, in parte posteriore segmenti postocularis primi retro et foras fracta, coxam IV attingens; segmenti commodum dicti pars posterior pallide fulva, anterior castanea et nigro-castanea; latera cephalothoracis in fronte segmenti huius et eius margo angustus supra coxas I castaneo-nigra; margo supra coxas III late niger, vitta obliqua obscure-fulva, margini parallela dimidiatus. Segmentum cephalothoracis posticum aurantiacum, in lateribus castaneum. Scutum dorsuale abdominis aurantiacum, spina nigra marginibus lateralibus colore pallide castaneo inaequaliter pictis; segmenta dorsalia libera ante castanea fulvo variegata (praesertim anticum), pone fulva. Subter in trunco partes fortius induratae nigro-castaneae sunt, coxae anteriores posterioribus paulo pallidiores, partes moliores isabellinae. Mandibulae pallide isabellinae articuli 2-di truncus ante vitta latiuscula, sordide rosea, mediocriter expressa ornatus et colore eodem transverse fasciatus. Palpi pallide flavidi. Pedum trochanteres castaneo-nigri, reliquae pertes pallidius et obscurius umbrinae, colore rufo plus minusve suffusae.

Nova Pomerania: montes Baining; mense Septembri, exemplum adultum.

### Scorpiones.

#### Hormurus Thor.

*Hormurus australasiae* (F.)

Nova Pomerania: Herbertshöhe; pullus. — Ins. Samoa; Upolu; pulli.





Tafel XVII.

## Tafel XVII.

---

1. *Fecenia montana* n. sp., epigyne ( $\times 20$ ).
2. *Argiope picta* L. Koch, abdomen feminac humefactum.
3. *Gea subarmata* Thor., epigyne ab imo visa ( $\times 36$ ).
4. Eadem pars a latere sinistro visa ( $\times 36$ ).
5. *Cyrtophora moluccensis* (Dol.), epigyne ( $\times 29$ ).
6. *Cyrtophora lineata* n. sp., epigyne a parte inferiore postica visa ( $\times 29$ ).
7. Eiusdem speciei abdomen humefactum.
8. *Araneus relicinus* (Keys.), palpi dextri maris pars tarsalis ab imo visa ( $\times 16$ ).
9. Eadem pars a fronte visa ( $\times 16$ ).
10. *Gasteracantha notata* n. sp., abdomen.
11. *Palystes nigriventer* n. sp. epigyne ( $\times 8$ ).
12. *Cosmophasis squamata* n. sp., epigyne ( $\times 29$ ).
13. *Bathippus Rechingeri* n. sp., partes oris maris.
14. Eiusdem speciei pars tarsalis palpi sinistri maris ( $\times 16$ ).
15. *Palpeltius (?) discedens* n. sp., epigyne ( $\times 29$ ).
16. Eadem pars humefacta.
17. *Cytaea subsiliens* n. sp., epigyne ( $\times 52$ ).
18. Eadem pars humefacta.
19. *Cytaea lepida* n. sp., epigyne ( $\times 29$ ).

In plerisque figuris (exceptis 11 et 13) pili omissi sunt.

---







